DISSERTATIO HISTO
EAQVE INAUG
DE

POENA SE
IRROGA

AD ILLUSTRANDUM LOCU
QVI CONTINE

EVANGE
ΠΑΜΠΡΩ

FUNDAMENTUM OMNIUM
DIVINAR
DE FILIO H
REGNUM DIABOLICUM
EAM
NUPERO VERITATUM DIVINA
AUCTORI ANONYM
CHI WERTHE
ET QVORUNDAM ALIORUM, RECENTI
PRETUM PERICULOSIS ABERRATIO
DIVINÆ ADJUMENTO
AD AUSPICANDUM JUXTA LEGES
PROFESSORIU
SERENISSIMO
CLEMENTISSIME
PUBLICO ERUDITORUM EX

M. JOANNES ULRICU
PROFESSOR PHILOSOPHIÆ
RESPONDEN
CHRISTOPH. CUNRADO HE
MAGISTERII PHILOSOPHI

AD DIEM JUNII

TUBINGÆ, Litteris SC

ISTORICO-CRITICA
NAUGURALIS
DE
SERPENTI
GATA
LOCUM GENES. III, 14. 15.
ONTINET
GELIUM
PΩTON
MNIUM PROMISSIONUM
VINARUM
O HOMINIS
LICUM DESTRUENTE.
EAM
DIVINARUM OBTRECTATORI
NYMO PENTATEU-
THEIMENSIS
RECENTIS POTISSIMUM ÆVI, INTER-
ERRATIONIBUS OPPONIT, ATQVE
UMENTO GRATIÆ
TA LEGES ACADEMICAS MUNUS
ESSORIUM A
MO PRINCIPE
SIME COLLATUM
RUM EXAMINI SUBMITTIT
LRICUS STEINHOFER
PHIÆ EXTRAORDINARIUS
ONDENTE
O HECHTLINO, *Kircho-Teccensi,*
LOSOPHICI CANDIDATO.
JUNII MDCCXXXVI.

teris SCHRAMMIANIS.

„ Fugiunt multi hoc tempore amplisſimos vocum & phraſium ſenſus, tenuiſſimis contenti, idque dum agunt, exiſtimant, vel aliis perſuadere cupiunt, ſe in interpretanda ſcriptura prudentius procedere„.

Campegius VITRINGA *ad Jeſ. XI.*

Genes. Cap. III. 14, 15.

ויאמר יהוה אלהים אל הנחש כי עשית זאת ארור אתה מכל
הבהמה ומכל חית השדה על גחנך תלך ועפר תאכל כל ימי חייך:
ואיבה אשית בינך ובין האשה ובין זרעך ובין זרעה הוא ישופך ראש
ואתה תשופנו עקב:

§. I.

Difficultates Textus Mosaici Auctori suo tribuendas non esse probatur α) ex rerum natura.

QVod toti historiæ lapsus primorum parentum accidit, ut in ejus explicatione titubent interpretes: id in his verbis, quæ illius præcipua pars sunt, usu quoque evenire constat. In eo vero non leviter peccatur, ubi culpam omnium difficultatum hic occurrentium in unum *Mosen*, ejus historiæ conditorem, transferre volunt. Quodsi enim res, quas memoriæ prodit, a nostra ætate remotissimas, & rationi simul humanæ parum obvias cogitamus: si scopum, quem in sua narratione intendit Historicus, diligenter animo volvimus; ab omni culpa ipsum penitus abesse intelligemus. Quod ad rerum in ejus relatione contentarum sublimitatem attinet, pone, duos tresve nostri temporis Mathematicos insignes de uno atque altero theoremate eruditam disquisitionem instituere, aut Philosophos aliquos summi ordinis veritatem recens detectam mutuis colloquiis exponere: num ea disputatio poterit esse clara & evidens illi, qui harum scientiarum omni-

no rudis est? num obscuritas sermonis, quam iste prætendet veritati rerum ipsi, aut adcuratis illorum virorum commentationibus, detrahet?

§. II.

β) ex scopo scribentis.

Quid autem potissimum intenderit divinus Scriptor in tota sua historia, ne Ethnicis quidem plane ignotum fuit. Luculentus est STRABONIS locus, quem Cl. SCHERPEZEELIUS aureis literis dignum existimat, quique alias minus attenditur, quam par est. Ait *Geographiæ L.* XVI. *p.* 760, 761. *ed. Almelov.*

ΜΩΣΗΣ γάρ τις τῶν Αἰγυπτίων ἱερέων ἔχων τι μέρος τῆς καλουμένης χώρας, ἀπῆρεν ἐκεῖσε ἐνθένδε δυσχεράνας τὰ καθεστῶτα καὶ συνεξῆραν αὐτῷ πολλοὶ τιμῶντες τὸ θεῖον. Ἔφη γὰρ ἐκεῖνος καὶ ἐδίδασκεν, ὡς οὐκ ὀρθῶς φρονοῖεν οἱ Αἰγύπτιοι θηρίοις εἰκάζοντες, καὶ βοσκήμασι τὸ θεῖον. οὐδ' οἱ Λίβυες, οὐκ εὖ δὲ οὐδ' οἱ Ἕλληνες, ἀνθρωπομόρφους τυποῦντες. εἴη γὰρ ἓν τοῦτο μόνον θεὸς τὸ περιέχον ἡμᾶς ἅπαντας καὶ γῆν καὶ θάλατταν, ὃ καλοῦμεν οὐρανὸν, καὶ κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὄντων φύσιν. Τούτου δὴ τίς ἂν εἰκόνα πλάττειν θαρρήσειε νοῦν ἔχων ὁμοίαν τινὶ τῶν παρ' ἡμῖν, ἀλλ' ἐᾶν δεῖ πᾶσαν ξοανοποιίαν· τέμενος ἀφορίσαντας καὶ σηκὸν ἀξιόλογον τιμᾶν ἕδους χωρίς. Ἐγκοιμᾶσθαι δὲ καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν, καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἄλλους τοὺς εὐονείρους· καὶ προσδοκᾶν δεῖν ἀγαθὸν παρὰ τοῦ θεοῦ, καὶ δω-

MOSES, unus ex Ægyptiis sacerdotibus, cum partem quandam regionis haberet, ac moleste ferret præsentem statum, inde in Judæam commigravit, multis eum comitantibus, quibus divina curæ erant. Adfirmabat enim, docebatque, Ægyptios non recte sentire, qui bestiarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, itemque Afros, & Græcos, qui diis hominum figuram adfingerent. Id vero solum esse Deum, quod nos & terram ac mare continet, quod cœlum & mundum, & rerum *omnium* naturam adpellamus, cujus profecto imaginem nemo sanæ mentis alicujus earum rerum, quæ penes nos sunt, similem audeat effingere. Proinde omni simulacrorum effictione repudiata, dignum ei templum

δῶρον ἀεί τι, καὶ σημεῖον τοὺς σωφρόνως ζῶντας καὶ μετὰ δικαιοσύνης, τοὺς δ' ἄλλους μὴ προσδοκᾶν. Ἐκεῖνος μὲν οὖν τοιαῦτα λέγων ἔπεισεν εὐγνώμονας ἄνδρας οὐκ ὀλίγους, καὶ ἀπήγαγεν ἐπὶ τὸν τόπον τοῦτον, ὅπου νῦν ἐστὶ τὸ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις κτίσμα - - - οἱ δὲ διαδεξάμενοι, χρόνους μέν τινας ἐν τοῖς αὐτοῖς διέμεινον δικαιοπραγοῦντες, καὶ θεοσεβεῖς ὡς ἀληθῶς ὄντες.

plum ac delubrum constituendum, ac sine aliqua figura colendum. Qui caste ac juste vivunt, eis bona somnia offerri: debere itaque & pro se, & pro aliis, eos dormire in templo, & a deo subinde aliquid boni atque indicii exspectare, ceteris nihil sperandum. Talia Moses dicens hominibus bonis fidem fecit, inque ea loca deduxit, ubi nunc condita sunt Hierosolyma - - - Successores aliquandiu in iisdem institutis permansere, justi & vere religiosi„.

Animus nimirum Vati divino fuit, docere populum Israëliticum, Deum unum, omnium creatorem & moderatorem esse colendum, simulque certis legibus rationem veri hujus cultus sancire, non vero, ut bene monet CLERICUS in *Diss. III. de Scriptore Pentateuchi* §. VII. annales totius humani generis ad sua usque tempora contexere. Huic scopo generali apprime inserviebat narratio *creationis* & *lapsus primorum parentum*, quam ita dat, ut quæ cognitu necessaria, quæ hominibus ad religionem & probitatem informandis convenientia, quæ scopo a sapientia divina intento fuerunt adcommodata, sufficienter enumeret, cetera, quæ ab hoc fine suo discrepant, & curiositatem magis, quam pietatem alunt, studiose omittat. Quæ si observantur, culpam omnem facile præstabit, neque ullo se pacto historicorum leges migrasse ostendet, quæ volunt, narrationem minimum esse *verisimilem, apertam, brevem.*

§. III.

Via superandarum difficultatum.

Patet hinc, alienum esse a persona Interpretis harum rela-

relationum, omnibus ſatisfacere quæſtionibus, quæ moveri & excogitari a liberis ingeniis ſolent: patet, optimum atque tutiſſimum eſſe, difficultates hic ibi obvias, & nodos, qui videntur indiſſolubiles, Deo, qui plura non aperuit, committere, quemadmodum in iſtiusmodi rebus ſingulari exemplo anteivit veneranda antiquitas, de qua D. *Thomas* SCHERLOCK in *Diſſert. II. de lapſu Adami juxta opinionem Judæorum ante I. C. adjuncta libro de Uſu & Finibus Prophetiæ*, p. 234 „L'Antiquité a été aſſés ſage pour les (difficultés morales & théologiques, qui ont rapport à l'hiſtoire de la chûte) enſevelir dans les profondeurs de la ſageſſe & de la puiſſance infinie de Dieu, & pour en attendre la ſolution de ſon bon plaiſir„. Ab hoc inſtituto laudabili abeunt omnes, qui veritatibus his cœleſtibus in compendio traditis minus contenti, ultra textum ſapere, & innumeris conjecturis, humanisque cogitationibus, hiſtoriam ſupplere adgrediuntur. Quantum autem ita noceatur rebus cœleſtibus, ſacraque ſcriptura elevetur, videmus in MANETIS, ejusque ſequacium, exemplo funeſtiſſimo. Hi enim cuncta fere ſcripta V. Teſtamenti, *Pentateuchum* inprimis, tanquam humana & falſa rejecerunt, quum veritates inibi contentas cum deteſtandis ſuis hypotheſibus conferre non poſſent, querentes, falſas ea ideas animo ingerere de eſſentia divina, tradere præcepta morum imperfecta, promittere bona mere temporalia & mundana, urgere cultum Deo indignum, narrare de creatione, de lapſu hominis ſine ulla factorum veriſimilitudine, neque de adventu Salvatoris quicquam ſcire, Vid. *Mſr.* de BEAUSOBRE *Hiſtoire Critique de Manichée & du Manichéiſme*.

§. IV.

Adplicatio ad locum Gen. III.

Hic ingenii humani fructus eſt, negligere verborum ſenſum, vel ex ipſo textu & contextu per ſe clarum, vel aliis in locis a Spiritu S. ſufficienter declaratum, dicta divina, velint nolint, torquere in ſenſum alienum, & pro ſuo arbitrio, præjudicatisque opinionibus, tanquam e tripode ſententiam ferre.

ferre. Idem fecerunt in verbis noſtris, de quorum certo ſenſu interpretibus tanta intercedit contentio, ut poſtremo ipſi neſciant, quid ſtatuant, aut quid loquantur? Sunt enim, qui omnia ad ſerpentem naturalem referunt, præſentiamque diaboli, & malitioſam ejus operationem, excludunt, partique adverſariæ plurimas abſurditates & difficultates inſuperabiles obganniunt: ſunt vero etiam, qui ſerpenti naturali nihil in hac ſcena tribuunt, ſed, quicquid factum eſt, id omne diabolo, larvam ſerpentis adſumenti, adſcribunt, iterumque diſſentientibus plurimas aberrationes opponunt. Alii utrosque relinquunt, & ad allegoriam, quo interpretandi genere alias magnopere delectantur, confugiunt, non quidem ut iſtiusmodi relationes, habeantur pro figmentis fabularum, Poëtis ac Sophiſtis uſitatarum, *πλάσματα μύθȣ οἷς τὸ ποιητικὸν καὶ σοφιϛικὸν χαίρει γένος*, ſed pro documentis figuratis, ad allegoriam invitantibus, per abditorum ſenſuum interpretationem, *δείγματα τύπων, ἐπ' ἀλληγορίαν καλȣ́ντων, κατὰ τὰς δι ὑπονοιῶν ἀποδόσεις*, uti PHILO monet *de Mundi Opificio.* Error in eo cernitur, quod verbis atque phraſibus divini ſcriptoris inhærere nolint, neque ea, quæ ipſis obſcura, diſſentanea & moleſta videntur, adductis aliis Scripturæ locis magis perſpicuis illuſtrare ſatagant. Utrique ſubſidio magna profecto vis eſt ad veritatem indagandam, ſed major, ubi alterum cum altero conjungitur. Non enim ſufficit, conſentiente LUTHERO, *Commentar. in Gen. c.* IV. p. LXXXVI. *ed. Nor.* grammaticas vocum ſignificationes ſollicite conquirere, & de ſententia Spiritus S. non multum laborare: ſed de rebus ipſis ante omnia conſtituendum eſt ex verbo divino, ut veritates ubique inter ſe conſentiant, & Grammatica ita vocanda in ſubſidium, ut illarum conſenſus non de ſtruatur, ſed erigatur & confirmetur.

§. V.

Solida namque eſt Interpretum regula, & longo uſu probata, qua præcipiunt, Scripturam ex Scriptura exponendam *Ulterior rei perſecutio.*

 eſſe,

esse, & secundum analogiam fidei. Placuit nimirum sapientiæ divinæ, homines sensim sensimque veritatibus cœlestibus adsuefacere, &, ne plena manifestatio imbecilles oculos penitus obtundat, frustatim cum illis agere, donec, semper partem parti addendo, *totum* aliquando *Systematicum* emergeret, *Ebr.* I, 1. Quo facto, cum divinis revelationibus suus jam terminus sit positus, nobis omnino est integrum, nexum harum veritatum gnaviter investigare, mutuaque earum collatione cognitionem nostram promovere. conf. *B. D.* THUMMIUS, *de Mediis Scripturam interpretandi*, *p.* 121. *Synops.* Num igitur admittenda sunt, quæ scribit ANON. WERTH. in *Præf.* p. 44. **Der erste Verfasser muß für sich verstanden werden/ und es würde eine verkehrte Sache seyn/ wenn man die Begriffe von seinen Worten in folgenden Schrifften suchen wolte/ welche erst lange nach ihm verfertiget worden„?**

§. VI.

Diabolum fuisse causam lapsus principalem prob. α) ex locis N. T.

Hanc interpretandi viam ineuntes, certam atque solidam, quærimus primo, ad quemnam Jehovah Deus in verbis nostris sermonem suum direxerit? *num ad serpentem? an Diabolum? an utrumque simul? vel etiam, annon sub serpentis typo & schemate saltem aliquam singularem sententiam, dictumque mnemoneuticum, occultare voluerit?* Iis enim expeditis, facilior erit transitus ad eruendas reliquas veritates textui insertas. Inquirendum igitur est ante omnia, quænam fuerit causa principalis lapsus primorum hominum, & cujus opera illi ab expresso Dei mandato sint abducti? causam enim omnium horum malorum principalem impunem dimittere, neque notabili aliqua poena adficere, cum justitia divina conciliari nequit, & plane absurdum est statuere, uti recte observant *Theologi nostri*, GERHARDUS, *in Gen. p.* 106. GLASSIUS *Christologiæ Mosaicæ Diss. III. p.* 103. Diabolum autem horribilis hujus apostasiæ, qua creatura a creatore suo defecit, auctorem primum fuisse, tam certis rationibus ex S.

Scri-

Scriptura firmari potest, ut contra solem pugnet, qui hanc veritatem non admittat. Ita JOANNES diabolum vocat ἀνθρωποκτόνον ἀπ' ἀρχῆς, *Ev.* VIII, 44. cum manifesto respectu ad hoc crudele factum ejus, quo Protoplastos in mortem & corporalem, & spiritualem, conjecit. Quod enim nonnulli urgent scripturæ silentium, & dictum hoc malunt ad cædem Abelis, opera Cacodæmonis per Cainum factam, referre, frivolum est; scriptura enim pariter & hoc loco ne verbulo quidem singularis operationis diabolicæ meminit, nec ad illam actionem requiritur in homine per peccatum jam corrupto, & ad mala quævis perpetranda proclivi. Ita PAULUS, 2. Cor. XI, 3. diabolum eodem nomine signat, quo *Moses* in textu usus est, eumque primi peccati auctorem facit. Φοβοῦμαι δὲ, μήπως ὡς ὁ ὄφις Εὔαν ἐξεπάτησεν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, οὕτω φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς χριστόν. Sermo hic est de diabolo; nam de Pseudapostolis loquitur, transfigurantibus se in Apostolos Christi, v. 13. quomodo & Satanas, cujus ministri sunt, v. 15. se transfigurat in angelum lucis, v. 14. & hominem τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ ἐξαπατεῖν est substantiæ rationalis, non brutæ, neque nos per serpentem, sed diabolum a simplicitate christiana seduci, quivis facile perspexerit. Ob eandem rationem JOANNES hunc ἀνθρωποκτόνον ἀπ' ἀρχῆς *in Apocalypsi c.* XII, 9. vocat draconem illum magnum, serpentem illum antiquum, diabolum & satanam. Καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος διάβολος καὶ ὁ σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην. Videmus insuper ex his locis JESUM & APOSTOLOS *ejus* supponere Mosis historiam de lapsu primorum hominum, prout ab illo in literas relata est, dæmonique aperte tragicum illud negotium tribuere, ac alias etiam veritates, quæ tum temporis in quæstionem veniebant, huic narrationi superstruere; quod profecto fieri non potuisset, si ea non secundum verborum atque phrasium constantem valorem intelligi debuisset. Non enim proferunt hic argumenta tantum ad hominem, uti vocant,

cant, ut Judæis in receptis ſuis opinionibus aliquo modo conniveant, quandoquidem *Chriſti* officium in eo cernitur inprimis, ut verbum divinum a corruptelis & ſpuriis interpretationibus Doctorum Judaicorum vindicaret, verumque ejus ſenſum, a Spiritu S. intentum, oſtenderet, MATTH. V. MARC. X, 5-11. Agnovit eadem quoque AUCTOR, qui Sapientiæ Salomoneæ ὀπαδὸς & sectator ſtrenuus, ſub ejus perſona *pulcerrimum Sapientiæ librum* edidit. Ait enim *cap.* II, 23.24. Ὅτι ὁ θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν. Φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον· Πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες. Namque, ut primum diabolus peccando a Deo deſcivit, atque æternis tenebris adjudicatus eſt, JUD. v. 6. felicitatem hominis, & gloriam ex creatura in creatorem redundantem, moleſtiſſime tulit, cumque ipſi Deo nocere non poſſet, opificium ejus nobiliſſimum tentare & corrumpere adgreſſus eſt.

§. VII.

β) ex locis V. T.

Uti vero res in *Novo Teſtamento* ſatis dilucide propoſita eſt a divinis ſcriptoribus: ita nec in *Vetere* plane ignotam fuiſſe fraudulentam hanc diaboli actionem, licet pro ratione iſtorum temporum non tam claris verbis expreſſa, pleniorque cognitio de induſtria temporibus Chriſti reſervata ſit, patet tum ex variis malorum dæmonum adpellationibus, 1. *Sam.* XVI, 14. 1. *Reg.* XXII, 21.22. *Hiob* I, 6. quem locum ita interpretatur COCCEJUS in *Lex.* ויבוא גם־השטן בתוכם *Et venit etiam adverſarius criminator in medio ipſorum, h. e. is ſpiritus, qui non eſt unus ex filiis Dei, & hoc agit, ut Deo & regno ejus atque homini ac ſaluti ejus obſtet:* tum ex eo, quod *Thomas* SCHERLOCK *in libro cit. de Uſu & Finibus Prophetiæ, Diſſ. II.* ſatis probabiliter diſputat, quando huc refert loca *Hiob.* XII, 16. XX, 4. *ſqq.* & inprimis *c.* XXVI, 13. in quo *Seb.* SCHMIDTIUM etiam conſentientem habet. Ubi enim *Vir divinus* ait: ברוחו שמים שפרה חללה ידו נחש בריח *Per ſpiritum ipſius pulcros fecit cœlos: formavit manus ipſius ſerpentem oblon-*

oblongum, *hic* ita commentatur. „ Confiderandum, inquit, damus, annon 1.) *adornatio cœli*, de gloria cœlefti & beatitudine feliciffima intelligenda fit, q. d. Per fpiritum fuum manus ipfius cœlos ornavit, non tantum in fe, ut faceret elegantiffimos, fed gloria & gaudio plenos, habitaculum angelorum & beatorum, quos in illis beatos reddit & pulcerrimos: & 2.) pofterius membrum per ferpentem oblongum diabolum fiftat, quem & fub hoc nomine *Jef.* XXVII, 1. intelligunt: חוללה autem fit (unde & alii deducere folent) ex חיל *dolore*, notetque *dolore adficere*, q. d. dolore contra adficit æternorum cruciatuum diabolum cum angelis illius malis. Ita bene cohærebunt membra hujus verfus, quæ alias non fatis commode cohærere multi pridem obfervarunt „. *p.* 1049. Ipfa *Venerandi hujus Viri* verba fic leguntur, *p.* 245, & 246. „ Pour répandre plus de jour fur cette matiére, il n'y a qu'à faire attention à l'état de la Religion dans le monde, lorsque le Livre de Job a été écrit. La plus ancienne opinion, contraire à la fouveraine autorité de Dieu, eft celle de deux principes indépendans, l'un du bien, & l'autre du mal, comme nous l'avons déja remarqué (fc. p. 237.); Et la feule efpéce d'Idolatrie dont il foit fait mention dans ce livre, & affurément la primiére qui ait regné dans le monde, eft l'adoration du Soleil, de la Lune, & de toute l'armée des Cieux; crime dont Job fe juftifie c. XXXI, 26. 27. 28. . . . Suppofons maintenant que ce S. homme ait été inftruit de la chûte de nos premiers Péres, & de la part qu'eut le Serpent à l'introduction du mal; nous verrons que rien n'eft plus jufte, ne mieux lié, que les deux membres du verfet que nous examinons. Pour s'oppofer à l'Idolatrie qui regnoit de fon tems, il foutient que Dieu a fait toute l'armée des Cieux. . . . *Il a orné les Cieux par fon efprit:* Et pour combattre la fauffe notion de deux Principes indépendans, il affure que Dieu a créé celui qui eft le premier Auteur du mal. . . . *Sa main a formé*

 le

le Serpent qui se replie. N'est-ce pas fort à propos que ces deux choses sont ici jointes ensemble?„ Qui in admittenda hac sententia se præbent difficiles, cum alii aliter de hoc loco sentiant, uti BOCHARTUS *Hieroz. P. II. lib. V. c.* 13. qui cum Judæis nonnullis putat, *Asterismum* hic significari, quia agitur de cœlo, uti *Jes.* XXVII, 1. agatur de pisce *zygæna*, ζυγὸν habente, seu transversum vectem anteriori parti capitis adnexum; illi nos certe non morantur, quibus sufficit egregium antiquitatis testimonium τῶν ό a laudato SCHERLOCKIO cit. itidemque consensus apertus Versionis *Arabicæ & Syriacæ*, quæ ad pœnam serpenti diabolo inflictam hoc refert, quibus adsurgit antiquus hujus libri commentator cum Operibus *S. Hieronymi* impressus. Is more suo *allegorice*, „Educitur, inquit, ab eis, i. e. ab animabus sanctis, & de cordibus earum excluditur ille, in quo nihil est rectum, Coluber tortuosus.„ LXX. κλεῖθρα δὲ οὐρανοῦ δεδοίκασιν αὐτόν· προστάγματι δὲ ἐθανάτωσε δράκοντα ἀποστάτην, *Vectes cœli eum timent: mandato vero occidit draconem apostatam.* Insulsa enim est interpretatio CLERICI *ad h. l.* ubi dicit designari his verbis, qui *flexu sinuoso elabitur anguis circum, perque duas in morem fluminis Arctos, juxta* VIRGIL. *lib. I. Georg.* ℣. 244. Ex hoc, & istiusmodi locis, de sententia *Veteris Ecclesiæ*, veritatibusque *Judæis* obviis, certo & sine ulla erroris suspicione statuere licet, cum *Versio septuagintaviralis* tempore *Ptolemæi Philadelphi*, sicque ante natum Christum *ducentis circiter sexaginta & septem annis* in lucem edita esset, & nos eandem translationem usurpemus, quam Veteres omnes, & ipse JOSEPHUS pro septuagintavirali habuerunt, quemadmodum contra quorundam objectiones confirmat *Doctiss.* FABRICIUS, in *Biblioth. Græc. lib. III. c.* XII. §. V. p. 324. Taceo ea, quæ de *peccato originali*, seu *corruptione hominum morali per viam generationis communicata*, luculentissime docentur a *Viris Sanctis*, MOSE inprimis, *Gen.* VIII, 21. ubi rationem addit Dominus, cur terram amplius diluvio perdere nolit,

nolit, כי יצר לב האדם רע מנעריו *quod figmentum cordis hominis sit malum ab ejus pueritia.* Talium enim dictorum intelligentia necessario supponit cognitionem originis hujus depravationis, & omnium illorum, quæ ad peccatum Adamiticum concurrebant, si Deum ipsum ab omni mali istius culpa velimus exemtum. Ceterum, quam maxime consentanea sunt, quæ IDEM ANGLUS *cit. Dissert. II.* profert, ubi quæstioni, cur *David* & *Salomoh* tam raro lapsus Adamitici in suis scriptis meminerint, ita satisfacit, ut dicat, istos Viros divinos, totumque sequentium Prophetarum cœtum, nova promissione de Messia ex stirpe Davidis oriundo captos, antiqua omnia facile prætermisisse; & nescio annon eadem de promissione Protevangelica dici queant, *homines antiquos spe & exspectatione seminis mulieris ita erectos, ut recordatio miseriarum earumque originis menti non tam cito subierit?* „Si nous trouvons qu'ils ne se soient pas expliqués avec autant d'étendüe qu'il nous semble qu'ils devroient l'avoir fait, sur la chûte de nos premiers Péres, & la promesse que Dieu leur fit ensuite, on peut en alleguer une raison manifeste; C'est que les grandes promesses faites à David d'un fils, dont le regne seroit éternel, avoient fait eclipser toutes les anciennes espérances, & tellement rempli l'esprit du Psalmiste, & de Salomon, que rarement remontoient-ils plus haut que ces promesses immédiates „. *p.* 280.

§. VIII.

Sunt hæ scintillulæ veritatum divinarum, hinc & illinc sparsæ, summo studio colligendæ; quas quia plerique Commentatorum neglexerant, vide, quæ deliria nobis obtruserint, & in quas inanes opiniones prolapsi sint. Videbant, MOSEN diserte nullibi angelorum mentionem fecisse, nec de creatione, nec de lapsu eorum quicquam tradidisse: inde concludebant, cum & hoc loco saltem serpentinæ astutiæ meminisset, æquum esse, ut omnes hæ actiones tantummodo *serpenti naturali* adscribantur, illi scilicet bestiæ, quæ dicatur *cal-*

Deliria Commentatorum in h. l. inprimis eorum, qui diabolum hic excludunt.

 lida

lida præ omni bestia agri, quam fecit Dominus Deus, v. 1. sic enim rationem reddi posse, cur serpens tam pauca ad Evam locutus sit, ne videlicet stupiditatem naturæ bestialis proderet, atque insuper ostendi, cur illi tribuatur inprimis astutia; quando in adversa sententia intelligi nequeat, quare diabolus serpentem potissimum in instrumentum elegerit suæ malitiæ, cum vel stupidissimum animal, Asinum puta, multo fuisset adcommodatius ad fraudes ejus exercendas; quemvis enim consilia sua libentius homini stupido aperire, quam astuto & maligno, & illum etiam specie hujus ineptitudinis apud alios facilius admitti. Ita BECKERUS in *Mundo fascinato* quævis alia hic comminisci maluit, quam præsentiam diaboli statuere, quoniam illius nulla facta est expressa mentio, cui quoque ex recentioribus complures adplaudunt, licet ab adparente hoc scripturæ silentio ad rei ipsius negationem nulla plane valeat consequentia, nec ullum esse dubium possit, quin Deus sat graves habuerit causas, cur veritatem hanc istiusmodi involucris quasi occultaverit, in quibus non minima ea esse videtur, quam Theologi adferre solent, quod hæc nimirum illi luci reservanda fuissent, quæ tempore Novi Testamenti regnum tenebrarum manifeste proditura sit, malitiamque stygiorum dæmonum, & omnia sacræ Scripturæ mysteria dilucide propositura, 1. *Pet.* I, 11. 2. *Cor.* III, 16. Scrupulus, qui a calliditate serpenti adjudicata desumitur, levis est, & facile ista ratione opprimitur, si dicimus, propter naturalem hanc perfectionem bestiam illam primis hominibus se præ ceteris animalibus adprobasse, sicque diabolo occasionem dedisse, ipsius potius opera utendi, quam aliorum. conf. ad BECKERUM *Venerand. Dn. D.* WEISSMANNI *Dissert. Historico-Theol. de præjudicio, quod adcrescit veritatib. primariis per imprudentem nexum cum doctrinis accessoriis, minus necess. incertis, sæpe etiam falsis,* §. *XII. p.* 70. *&* *Celeb. Profess.* CANZII *de Civ. Dei.* Sect. II. c. III. *de Civib. quibusdam à Rebellibus.*

§. IX.

Cum vero huic opinioni *Textus* manifeste contradiceret, & tales enumeraret actus, qui non, nisi a subjecto spirituali & intelligente, exerceri poterant, qualis est loquendi facultas; *sola enim ratio hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem:* quidam verba *Prophetæ: Et dixit ad mulierem, &c. v.* 1. eo detorserunt, ut serpentem saltem *sibilo & nutibus* egisse dicerent, quos Eva, idiomata animalium probe distinguens, satis intellexisset. Notum enim est a nonnullis prætendi, *initio datam esse brutis facultatem quandam naturalem, necessitates suas per certos sonos exprimendi, qui ab omnibus ejusdem speciei animantibus intelligerentur: hæc autem idiomata Evam quoque probe calluisse.* Eadem *Gentiles* de APOLLONIO TYANÆO fabulabantur, ut illius excellentem sapientiam aliis eo felicius commendarent. Quicquid enim eximium, admirandum & divinum videbatur, id omne PHILOSTRATUS & EUNAPIUS *huic Apollonio*, JAMBLICHUS *Pythagoræ* adscribebat, quo haberent, quos *Christo* opponerent. Fuerunt enim religioni Christianæ infensissimi, eamque nulla alia ratione magis subrui posse crediderunt, quam si hominibus persuaderent, exstitisse etiam aliquos inter Gentiles, qui *Christum Dominum nostrum* tam sanctitate vitæ & doctrinæ, quam miraculis non solum æquassent, sed & vicissent, uti recte observat *Ludolph.* KUSTERUS *ad Jamblichi vitam Pythagoricam, ed. Amstel.* 1707. *p* 7. Hinc EUNAPIUS in *Proœmio libri* de *vitis Sophistarum* ait, *Philostratum non debuisse opus suum inscribere,* Ἀπολλωνίου βίος, *sed* Θεοῦ ἐς ἀνθρώπους ἐπιδημία, *Dei ad homines adventus,* pro quo etiam post fata sua habitus & cultus est, referente *Cel.* FABRICIO *Biblioth. Græc. lib. IV. c. XXIV.* §. XV. *p.* 60. Hinc verba profluxerunt *cit.* JAMBLICHI de *Pythagora* cap. VI. p. 23. Ἄλλοι δὲ ἄλλον τῶν ὀλυμπίων θεῶν ἐφήμιζον, εἰς ὠφέλειαν καὶ ἐπανόρθωσιν τοῦ θνητοῦ βίου λέγοντες ἐν ἀνθρωπίνῃ μορφῇ φανῆναι τοῖς τότε, ἵνα τὸ τῆς εὐδαιμονίας τε καὶ φιλοσοφίας σωτήριον ἔναυσμα χαρίσηται

Tractatio ejusdem materiæ.

τῇ θνητῇ φύσει· οὐ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτε ἦλθεν, οὔτε ἥξει ποτὲ, δωρηθὲν ἐκ θεῶν διὰ τούτου τοῦ Πυθαγόρου; conf. *Jo. Henr.* URSINI *Analect. Sacr. libr. II. c.* 24. *de Mosis & Apollonii Tyanæi sepulcris. D. D.* JOECHERI *Diss. III. sistens examen paralogismorum Th. Woolstoni, quæ recensetur* in dem dritten Stück der gründlichen Auszügen aus denen neuesten *Theol. Philos.* und *Philologi*schen *Disputationibus, ad annum* 1735. ib. *pp.* 294, 295. Aptius, an ineptius? *Is.* ABARBANEL serpentem negat cum Eva sermones serere potuisse, & significari isto colloquio contendit טענות האישה כפי מה שחת עוררה ממעשה' הנחש ואכילתו מהעץ ההוא *ratiocinationes mulieris, secundum id, quod elicuit ex actione serpentis, ejusque esu de arbore illa:* cum nimirum serpentem sæpius in arborem vetitam adscendentem vidisset, deque ejus fructu citra omnem noxam comedentem, visum ipsi esse, ac si serpens diceret: Nil periculi ab hac arbore mihi, adeoque nec tibi.

§. X.

Qui ob eandem rationem serpenti facultatem loquendi tribuerint?

Judæi veteres non dubitarunt ipsi serpenti naturali facultatem loquendi concedere, in quem finem ita argumentatur ABENEZRA. „Maledictio, inquit, contra serpentem, ut graderetur super pectus suum, & terram comederet, diabolo non quadrat, siquidem is spiritus est: ergo serpens, qui est punitus, is decepit, ante hoc facinus erectæ staturæ, & sermone præditus„. JOSEPHUS autem, *Auctor*, ut videtur, *hujus sententiæ*, ultra progreditur, & adserit, omnia animalia antiquitus loquendi facultate prædita fuisse, *Antiquitatum Judaicarum lib. I. c. III. De Serpente quidem & lapsu Adamitico c. II. p.* 5. *ed. Colon.* 1691. ὁ δὴ θεὸς τὸν ἄδαμον καὶ τὴν γυναῖκα τῶν μὲν ἄλλων φυτῶν ἐκέλευσε γεύεσθαι, τοῦ δὲ τῆς φρονήσεως ἀπέχεσθαι, προειπὼν ἁψαμένοις ἀπ' αὐτοῦ, ὄλεθρον γενησόμενον· ὁμοφρονούντων δὲ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῶν ζώων ἁπάντων, ὄφις συνδιαιτώμενος τῷ τε ἀδάμῳ καὶ τῇ γυναικὶ, φθονερῶς μὲν εἶχεν, ἐφ' οἷς αὐτοὺς εὐδαιμονήσειν ᾤετο, πεπεισμένους τοῖς τοῦ θεοῦ παραγγέλμασιν· οἰόμενος δὲ συμφορᾷ περιπεσεῖσθαι παρακούσαντας, ἀναπείθει κακοή-

θως

θως τὴν γυναῖκα γεύσασθαι τοῦ φυτοῦ τῆς φρονήσεως, ἐν αὐτῷ λέγων εἶναι τήν τε τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τοῦ κακοῦ διάγνωσιν, οὗ γευομένους αὐτοὺς, μακάριον, καὶ μηδὲν ἀπολείποντα τοῦ θείου διάξειν βίον· καὶ παρακρούεται μὲν οὕτω τὴν γυναῖκα τῆς ἐντολῆς τοῦ θεοῦ καταφρονῆσαι· γευσαμένη δὲ τοῦ φυτοῦ, καὶ ἡσθεῖσα τῷ ἐδέσματι, καὶ τὸν ἄδαμον ἀνέπεισεν αὐτῷ χρήσασθαι· - - -

ὁ δὲ θεὸς ἥττονα γυναικείας συμβουλῆς αὐτὸν γενόμενον ὑπετίθει τιμωρίᾳ, τὴν γῆν οὐκ ἔτι μὲν αὐτοῖς τὰ ἑαυτῆς ἀναδώσειν αὐτομάτως εἰπὼν, πονοῦσι δὲ καὶ τοῖς ἔργοις τριβομένοις, τὸ μὲν παρέξειν, τὸ δ' οὐκ ἀξιώσειν· Εὔαν δὲ τοκετοῖς καὶ τοῖς ἐξ ὠδίνων ἀλγηδόσιν ἐκόλαζεν, ὅτι τὸν ἄδαμον οἷς αὐτὴν ὁ ὄφις ἐξηπάτησεν, τούτοις παρακρουσαμένη συμφοραῖς περιέλαβεν. ἀφείλετο δὲ καὶ τὸν ὄφιν τῆς φωνῆς, ὀργισθεὶς ἐπὶ κακοηθείᾳ τῇ πρὸς τὸν ἄδαμον, καὶ ἰὸν ἐντίθησιν ὑπὸ τὴν γλῶτταν αὐτῷ, πολέμιον ἀποδείξας αὐτοῖς, καὶ ὑποτιθέμενος κατὰ τῆς κεφαλῆς φέρειν τὰς πληγὰς ὡς ἐν ἐκείνῃ τοῦτε κακοῦ τοῦ πρὸς ἀνθρώπους κειμένου, καὶ τῆς τελευτῆς ῥᾴστης τοῖς ἀμυνομένοις ἐσομένης· ποδῶν τε αὐτὸν ἀποστερήσας, σύρεσθαι κατὰ τῆς γῆς εἱλυσπώμενον ἐποίησε· Nimis liberalis est CLERICUS, qui in recensenda hac sententia addit: „ Certe si hæc Moses sensisset, non aliter, fateor, loquutus esset, quam loquitur. Statim enim serpentem animalium *callidissimum* describit; deinde hic calliditate sua, in decipienda prima parente abusurus eam, quasi rationis particeps, adloquitur; postremo incessus *ventre*, quasi pœna ei imponitur „.

§. XI.

Obj. de inæqualitate certantium, hominis & diaboli, desumta.

Istiusmodi cogitatis non plane tollitur ea difficultas, quam movere iis solent, qui diaboli operationem in hoc actu supponunt. Nunquam tam imparibus viribus certatum esse contendunt: si pater filium suum eo, quod stationem ipsi commendatam deseruerit, vel fraudibus hominis veteratoris, vel violentia Gigantis alicujus, supplantatus, domo pellere aut exhæredare vellet, quis eum amplius, non dicam paterno, sed humano nomine dignum censeret, præsertim cum ipse totius certaminis spectator exstitisset? Uti enim pater vel levissima pericula a liberis suis studiose declinare solet:

ita

ita etiam Deus pro his rationibus permittere non potuisset, ut nobilissima creatura a serpente, aliave bestia, corrumperetur. Neque est opus ad ejiciendum huncce scrupulum, ad allegorias confugere. Qui cogitat statum illum Adami fuisse statum probationis, quo sufficientibus ad resistendum viribus instructus fuerit, per imaginem Dei gratiamque illius actualem, per crebram cum Deo Angelisque conversationem, & præceptorum atque dehortationum divinarum adcuratam declarationem: ille hujus, ac similium dubiorum, nubeculas facile dissipabit.

§. XII.

Quantum defensio talium hypothesium noceat, ostenditur exemplo Juliani Apostatæ.

Operæ pretium non erit, hanc de serpente mere naturali, Protoplastorum seductore, sententiam pluribus refellere, cum falsitas pateat ipsa per se, & ea, quæ hactenus dicta sunt, æquo Lectori possint sufficere: illud adhuc meretur attendi, quantum defensio tam absonarum hypothesium apud homines profanos verbo divino nocuerit. Quæsivit hinc JULIANUS *Apostata:* Quonam tandem idiomate serpentem, qui cum Eva locutus sit, usum esse dicemus? atque omnem hanc narrationem cum iis fabulis contulit, in quibus *Græci* bestias, vel res etiam inanimes, loquentes introducunt, ut quando HOMERUS Xanthum equum dicit Achilli, hero suo, mortem prædixisse, *fine Iliadis T.* quando ISIGONUS *Cittiensis* ait in insula Rhodo Jovis taurum sermonis humani non expertem fuisse, vel ubi fluvius Nessus articulate clareque fertur Pythagoræ respondisse: χαῖρε Πυθαγόρα, *Salve Pythagora*, uti est apud JAMBLICHUM *in vita ejus*, *cap.* XXVIII. *p.* 113. DIOGENEM LAERT. *lib. VIII. p.* 574. *ed. Steph.* AELIANUM, *lib. II. c. XXVI.* BLANCARDUM ad *Arriani* ἀναβ. *lib. I. p.* 4. & *alios*, aut Dodonæa quercus consulentibus responsa dedisse apud SUIDAM in Δωδώνη· quanquam nec hæc omnia prorsus negari queant impulsu malorum spirituum esse facta, neque CYRILLUS reprehendendus sit, si hoc ipsum telum in *Julianum*, superstitionesque gentilium retorserit.

„Vide

„Vide, inquit, quomodo incantatorum ludi oſtendant dæmoniorum naturam poſſe nonnunquam voces perficere, & non in ſolis ſenſibilibus animantibus, ſed etiam in his, quæ ſenſu & voce carent, utpote in aqua & arboribus, *contra Julianum lib. III. p.* 58. *edit. Lat. Baſil.* Conſtat enim, Ethnicos fana ſua, & loca ſacra, mox reliquiſſe, ubi deos ædes aut ſimulacra animantes terra ceſſiſſe ſenſerint. Interim non diffitemur, pleraque iſtiusmodi phænomena arte ſacrificulorum ſuorum peracta eſſe, & eadem compluribus ſimulacris & ſtatuis accidiſſe, quæ de *ſphinge iſta*, ſeu *idolo Pyramidibus Ægyptiacis prope adſtante*, tradit *Dominus de* MONCONY *in Itinerarii ſui parte prima, p.* 185. Ubi in epiſtola ad Amicos Pyramidum Ægyptiacarum partes tam internas, quam externas graphice depinxerat, ait: Au commencement de cette derniere (chambre) de cent ſoixante - deux pieds l'on void l'ouverture d'un puy quarré qui eſt fort profond, & ou on ne deſcend point à cauſe des chauveſſouris, & autres animaux venimeux qu'il y peut avoir, dont il y a bonne quantité dans toutes les chambres, car il n'y a autre ouverture que celle de l'entrée. L'on tient que ce puy va ſous terre jusques a une Idole qui reſte encore aujourd'huy environ a trois-cents pas de la Pyramide, du coſté du Zirock: c'eſtoit une Hienne couchée dont il ne reſte que la teſte ſur ſon col, aſſés maltraittée, ayant le nez & le menton caſſé; mais ce qui reſte eſt fort beau à voir, & l'on y remarque l'adreſſe d'un habile Sculpteur, qui ne cedoit pas à ces Grecs qu'on admire par leurs ouvrages: elle a vingt-ſix pieds de haut, & depuis les oreilles jusques au menton quinze pieds. La traditive eſt, que les Preſtres venoient ſous cette Idole par le puy de la Pyramide, & y rendoient les Oracles. Il y a auſſi un trou au deſſus de la teſte ou un homme peut demeurer debout ſans eſtre veu, qui peut - eſtre ſervoit encore à la fourberie.„.

§. XIII.

Paracelsi & Ophitarum sententia blasphema.

PARACELSUS de *myst. vermium* serpenti in Paradiso tribuit virtutem Protoplastos sublimiter in lucem naturæ extollendi. Scito, ait, quod non tantum primus serpens in Paradiso vim & efficaciam habuerit singulari Dei permissione & mysterio Adamum & Evam tam sublimiter in lumen naturæ extollendi, quodlibet naturale bonum & malum scientiæ ipsorum adjiciendi, verum etiam hodie omnes alii serpentes usque ad finem mundi tam magna & excelsa mysteria naturaliter singulari Dei voluntate obtineant & conservent. „Hæc GERHARDUS *in Gen. p.67.* furorem potius, quam errorem adpellat, cum apertio oculorum & scientia boni ac mali lapsum consecuta in malorum potius, quam bonorum censum referenda sit. Antea tamen eandem sententiam foverunt, blasphemisque adhuc coloribus exornarunt *hæretici quidam*, quos ab errore hoc OPHITAS nominant. Datam, inquiunt, serpenti magnam initio vim ac potentiam, originem scientiæ boni & mali ipsi acceptam ferendam, nec oportuisse Deum creaturæ de nobis tam insigniter meritæ tantopere succensere: illius majestatem & potentiam Mosi probe cognitam fuisse, dum æneum serpentem super perticam posuerit, ut sanitatem consequerentur, quicunque ipsum inspecturi forent, quin & ipsum Christum ejus sacram potestatem imitatum esse, dicendo: Et sicut Moses exaltavit serpentem in deserto: ita & exaltari oportet filium hominis, Jo. III. 14. *Num.* XXI, 8. 9. Leguntur talia apud THEODORITUM, *lib. I. c.XIV.* TERTULLIANUM *initio libri de præscriptionibus hæreticorum.* PHILASTRIUM *hæres. I.* AUGUSTINUM *hæres. XVII.* EPIPHANIUM *hær. XXXVII.* DAMASCENUM *hær. XXXVII.* ORIGENEM, *lib. VI. adversus Celsum*, *& lib. VII.* EPIPHANIUS quidem, ut unius saltem verba proferam, serpentinum eorum cultum ita describit, ut dicat, eos serpentem in cista adservare, & statis temporibus mysteriorum suorum e cubili emittere in mensam, ut panibus ibi adpositis se implicet, hocque pro

per-

perfecto habere sacrificio: tum enim eos non solum frangere & distribuere istos panes, sed ipsum etiam serpentem arte quadam mitigatum, & subblandientem, exosculari, deoque laudes canere solere: *δοξάζουσιν οὖν αὐτὸν διὰ τὴν τοιαύτην γνῶσιν, καὶ ἄρτον αὐτῷ προσφέρουσιν. ἔχουσι γὰρ φύσει ὄφιν, τρέφοντες ἐν κίστῃ τινὶ, ὃν πρὸς τὴν ὥραν τῶν αὐτῶν μυστηρίων τοῦ φωλεοῦ προσφέροντες καὶ στιβάζοντες ἐπὶ τραπέζης ἄρτους προσκαλοῦνται τὸν ὄφιν. ἀνοιχθέντος δὲ τοῦ φωλεοῦ πρόεισι, καὶ οὕτως ἀνελθὼν κατὰ τὴν αὐτῶν μωρίαν ἄνεισιν ἐπὶ τὴν τράπεζαν, καὶ ἐνειλεῖται τοῖς ἄρτοις, καὶ ταύτην, φασὶν, εἶναι τελείαν θυσίαν. ὅθεν καὶ ὡς ἀπό τινος ἀκήκοα, οὐ μόνον κλῶσι τοὺς ἄρτους ἐν οἷς ὁ αὐτὸς ὄφις εἰλήθη, καὶ ἐπιδιδόασι τοῖς λαμβάνουσιν, ἀλλὰ καὶ ἕκαστος ἀσπάζεται τὸν ὄφιν ἐκ στόματος, ἤτοι γοητείᾳ τινὶ ἐπασθέντος τοῦ ὄφεως εἰς ἡμερότητα, ἢ ἐξ ἑτέρας ἐνεργείας διαβόλου πρὸς ἀπάτην τούτων ὑποκοριζομένου τοῦ ζώου. προσκυνοῦσι δὲ τὸν τοιοῦτον, καὶ εὐχαριστίαν ταύτην ἐπιφημίζουσι τὴν δι' αὐτοῦ ἐνειληθέντος γεγενημένην, καὶ αὖθις δι' αὐτοῦ, ὥς φασι, τῷ ἄνω πατρὶ ὕμνον ἀναπέμποντες, οὕτω τὰ μυστήρια αὐτῶν ἐπιτελοῦσι.*

§. XIV.

De æneo serpente Ill. Marshamus.

Quod ad serpentem attinet æneum, ut id obiter moneamus, falsus etiam est *Ill.* MARSHAMUS *in Chronico, p.* 149. si ab Ægyptiorum usitatis incantationibus ad *Mosen* transitum facit, eumque putat serpente æneo perticæ imposito venenum igneorum serpentum exstinxisse, & *morsus arte levasse.* Curatio enim morsus non serpenti, sed verbo & mandato divino accepta ferenda est.

§. XV.

Num Eva ignoraverit, facultatem loquendi creaturæ rationali propriam esse?

Tolerabilior est eorum sententia, qui quidem operationem diabolicam hic excludi nolunt, sed adserunt duntaxat, Evam nescivisse, quod facultas loquendi soli creaturæ rationali propria sit, vel, si etiam id non ignoraverit, admiratam tamen serpentem loquentem esse, &, quî factum, curiosius inquisivisse, verbisque pluribus ultro citroque habitis, tandem serpentem ipsam hanc loquendi potentiam fructibus arboris illius tribuisse, sicque, sub spe similis perfectionis &

ad

ad altiorem cognitionis gradum elevationis ad percipiendos arboris fructus eam permovisse. Adsurgit etiam huic sententiæ *Dn.* DELAUNY, *Decanus Hibernicus*, recens christianæ fidei contra incredulorum malesanos impetus defensor, in Examine fideli Revelationis, *Revelation Examin'd With Candour*; qui liber etsi quædam contineat, quæ probari debent, eas tamen laudes non meretur, quas in eum cumulat *Rev.* AUCTOR der auserlesenen *Theologi*schen *Bibliothec*, 79 Theil/ 1735. p. 760. De hac quidem materia p. 764. ita disserit: Der Einwurff/ wie es möglich/ daß Adam und Eva/ welche die Thiere miteinander so wohl gekennet/ sich von der Schlangen haben können betriegen lassen? wird so geschickt/ als bündig beantwortet/ und gezeiget/ daß nemlich Eva dem Vorgeben der Schlangen geglaubet/ als welche vorgab: sie habe ihre Rede und Vernunfft von der genossenen Frucht/ von welcher sie vor ihren Augen zur Probe gegessen. Woraus Eva geschlossen. Wenn diese Frucht/ welche so schön zu essen und lieblich anzusehen/ bey der Schlangen die Krafft gehabt/ sie mit Sprache und Vernunfft zu begaben; so würde sie/ da sie beydes bereits besässe/ durch dieselbe zu einer weit höheren und fast göttlichen Vollkommenheit gelangen. conf. *Bibliotheque Britannique, ou Histoire des Ouvrages des Savans de la grande-Bretagne pour les Mois d'Octobre, Nov. & Decembre*, 1733. *Tome second. Premiere Partie. Article VIII.* Juxta hujus & similium opinionem Adamus ante lapsum nullam habuit angelorum cognitionem, vel, si habuit, ab omni tamen suspicione longissime abfuit, esse angelum in serpente loquentem. Cum vero cogitemus, quam multa & utilia a cœlestibus illis animis Adamus potuerit discere, quamque aptus natura fuerit in statu integro ad consortium angelicum, ad quod & nos, tanquam ad rem præstantissimam, in N.T. benigne invitamur, *Ebr.* XII,22.23. facilem illis accessum concedemus, qui dicunt, Adamum notitiam angelorum non habuisse solum, sed existimasse etiam,

per

per ſerpentem bonum angelum cum ipſo locutum, 2. *Cor.* XI, 14.

§. XVI.

Multi, quibus omnia hæc non probantur, uti profecto judicioſo lectori probari nequeunt, evitata Charybdi, in Scyllam inciderunt, *Textum noſtrum inſulſis allegoriis obſcurantes*. In his *Patres* eminent, ambiguitatibus allegoricis plus, quam ſatis eſt, indulgentes, & ſæpe non ſine magno veritatum divinarum impendio. Evam, inquiunt, referre allegorice noſtri animi inferiorem partem, quæ perturbationibus & concupiſcentiis adficitur: Adamum vero mentem, ſive ſpiritum, quæ portio ad imperandum nata eſt. Serpens igitur, nos tentaturus, hac parte adoritur, qua ſumus inferiores: nam concupiſcentiæ & perturbationum vires cum diabolo ubi fecerint, ſæpe ad ſe pelliciunt mentem, ac potiorem animi partem labefactant.

Num admittendus hic ſenſus Allegoricus, Patribus frequens?

§. XVII.

Notiſſima ſunt blaſphema crimina & convicia, quibus religionem noſtram non ita pridem inceſſere auſi ſunt hoſtes Chriſtiani nominis acerrimi, COLLINUS, WOOLSTONUS, & improbitate reliquis prior TINDAL in famoſo illo ſcripto, cui titulum fecit: Chriſtianity as old as the World, ad quod velim conferatur *Summe Reverend. Dn. D.* HAGMAIERI *Diſſ. de Theol. nat. homini peccatori ad vitam æternam inſufficiente, habita A.* 1726. *Reverend. Dn. D.* MAICHELII *Diſſ. II. de recta Theol. naturalem tradendi ratione*, §. VI. p. 11. *& Cl. Chriſtiani* KORTHOLTI *Diſſert. de Matthæo Tindalio, Lipſ.* 1734. Qui ſe funeſtis iſtis conatibus, quibus religionem chriſtianam e mundo plane tollere, & naturalem dicam? an nullam hominibus relinquere ſtudebant, fortiter oppoſuerunt, eorum anteſignanus & facile princeps fuit Dn. WATERLAND, inprimis in egregio libello, quem inſcripſit: Defenſio Scripturæ, *Vindication of Scripture.* Hic operam dedit, ut ſenſum literalem & explicationes, quæ vexatis Scri-

Explicatio D. Midleton, Angli, contra D. Waterland.

pturæ locis dari a nostris communiter solent, ab istorum cavillationibus solide vindicaret. Tametsi autem causam hanc suam quam felicissime peroraret: invenit tamen adversarios, & inter illos eum, quem nemo conjecisset, *Dn.* MIDLETON, *itidem Theologiæ Doctorem & Universitatis Cantabrigiensis Bibliothecarium*, non ea quidem mente, ut *Tindalium* defenderet, sed ea certe ratione controvertentem, quæ castra Christianorum insigniter proderet. Ad evitanda dubia, quæ Textui nostro moventur, confugit quoque ad inanes allegorias. „Par Adam, ait, il faut entendre la raison ou l'esprit de l'homme; par Eve, la chair ou les sens; & par le serpent, la concupiscence ou le plaisir. Cette Allégorie explique clairement les véritables causes de la chute & de la corruption de l'homme; savoir qu'aussitôt que son esprit, par la foiblesse & la perfidie de ses sens se laissa captiver & séduire par les attraits de la concupiscence & du plaisir, Dieu le chassa du Paradis, c'est-à-dire qu'il perdit le bonheur dont il jouïssoit pendant son innocence. Tout cela est intelligible & de bon sens, conforme, non seulement, aux notions communes & à la tradition, mais encore à la methode ordinaire & constante de la providence de Dieu, qui a sagement établi les choses de maniere que la misére de nôtre nature sont les suites naturelles & necessaires du pêché„. *Biblioth. Brit. T. I. Part. II. Artic. III.*

§. XVIII.

Probatio sensus allegorici, quam adferunt, α) ex comparatione Scripturæ Mosaicæ cum Apologis Gentilium.

Quodsi vero liceat hic a litera tam aperte discedere, Scriptura Mosaïca vehementer elevatur, &, ut recte monet GERHARDUS, p. 68. etiam in reliquis Mosaïcæ descriptionis partibus a literali sensu discedendum erit, donec tandem nihil certi in illa maneat reliquum. Videbis hujus adsertionis veritatem ex ipsis probationibus istorum hominum. Conferunt hæc MOSIS effata cum scriptis *Gentilium*, & in eo sibi magnopere placent, quod ibi reperiunt, antiquissimos philosophos, cum Asiaticos, tum Græcos, qui Apologis usi sunt e bru-

e brutis petitis, si de fraude dicturi sint, solitos vulpem inducere, callidissimamque ferarum præfari: ita ajunt & *Mosen* insidiosæ serpentis naturæ mentionem prudenter injicere, ubi viam sibi munire voluit ad id, quod dicturus erat de lapsu primorum Parentum. V. CLERICUS *ad* ℣. 1. h. cap. MIDLETON inprimis adplaudit sibi, quod apud antiquos fabulam Mosaicæ narrationi adprime similem invenerit. Refert nimirum NICANDER *in Theriacis*, *ed. Ald.* p. 7. §. 17. hominem a Jove acceptum remedium, quo omnia mala omnesque senectutis molestias effugere, seque in perpetuo corporis vigore & optima valetudine conservare posset, asino suo imposuisse: qui cum levandæ sitis causa ad fontem aliquem properasset, omnem ipsi thesaurum a serpente surreptum esse, persuadente asino, ut onus hoc suum cum frigida potione commutaret; igitur serpentem perpetuo vigore frui, & sæpius ad juventutem redire, hominem vero vitam agere languidam, variorumq; morborum oneribus pressam.

§. XIX.

Porro provocant ad dictum STEPHANI, *Act.* VII, 22. ubi *Moses* dicitur παιδευθεὶς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, & exinde conjiciunt, cum ratio characterum Ægyptiacorum plane fuerit mystica & symbolica, ita ut Ægyptii mentem suam in omnibus exprimere solerent figuris hominum, bestiarum aliarumque rerum: *Mosen* his artibus probe imbutum, eadem in sua historia secutum, quæ primitus ab his doctoribus accepisset, quemadmodum varios quoq; ritus sacros inde ad suam religionem transtulisse videatur: sic ipsum v. g. ceremoniam circumcisionis ab iis mutuam sumsisse, patere ex variis testimoniis veterum scriptorum, HERODOTI *lib.* II. c. XXXVI, VII. *it. c.* CIV. DIODORI SICULI, *ed. Rhodomanni, lib. I. p.* 24. STRABONIS, *lib.* XVII. p. 824. & JOSEPHI *infra cit.* §. XXI. in eo convenientium, quod consuetudo ponendi præputii Ægyptiis initio propria, cum nationibus quibusdam aliis deinceps communicata sit: neque de certitudine harum adsertionum

β) ex oratione Stephani, Act. VII, 22.

γ) ex ritu circumcisionis ab Ægyptiis desumto.

δ) ex claritate populi Ægyptiaci.

tionum magnopere laborandum esse, si consideretur, quam contemptus tum temporis status adhuc Judæorum, quamque florens & amplus contra Ægyptiorum fuerit.

§. XX.

Observationes quædam contra hanc sententiam.

Ad hujusmodi cogitata, quæ auctoritatem scripturæ Mosaicæ non parum adfligunt, observandum est 1.) *Mosen* ad scribendum a Deo excitatum id egisse, ut animos Israëlitarum a fabulis & gentilium superstitionibus ad verum Dei cultum avocaret, §. II. cui rei præstandæ eo minus suffecisset, quo plura de sacris illorum suæ religioni intulisset. 2) Gentes, & Ægyptios inprimis, in populum Israëliticum infensissimo semper animo fuisse, quod certe factum non fuisset, nisi summus in rebus theologicis dissensus exstitisset. Id adfirmat JOSEPHUS, *contra Apion. lib. I. p.* 1039. ubi ad demonstrandam rei narrandæ veritatem ad scriptores Ægyptios & Phoenices provocat, quia hi voluntate a suo populo semper alienati videbantur: φαίνονται γὰρ καὶ δὴ μάλιϛα πρὸς ἡμᾶς δυσμενῶς διατεθέντες κοινῇ μὲν ἅπαντες Αἰγύπτιοι, Φοινίκων δὲ Τύριοι. Quem dissensum etiam ex eodem scriptore contra *D. Midleton* urget alter veritatis defensor *D.* PEARCE *in Responso ad hujus epistolam D. Waterlandio oppositam: A Reply to the Letter to D. Waterland:* verbis, quæ leguntur in *Bibliotheca Britannica p.* 350. sequentibus: Il allegue contre le sentiment de Mr. Midleton sur ce sujet, l'autorité de Josephe qui dit expressément, qu'une des raisons pour les quelles les Egyptiens haïssoient les Juifs, étoit la grande différence des Réligions des deux Nations, le culte Judaïque étant aussi différent de celui qui étoit établi chez les Egyptiens, que la Nature de Dieu est différente de celle des brutes. *cont. Ap. l. I. c.* 25. 3.) *Stephanum* quidem loqui de sapientia Ægyptiorum, ut ostendat, quo loco Moses apud eos habitus, quibusque dignitatibus atque officiis destinatus fuerit, utque ex eo fides illius, ac summa in rebus hujus seculi temperantia, æstimetur; non vero

vero ut fundamentum ſcripturæ Moſaicæ pandat, & originem innuat, a qua id, quod in illa relatione continetur, repetendum ſit. Inde huic Ægyptiorum ſapientiæ ſtatim opponitur δύναμις ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις per promiſſionem & fidem acquiſita, *Ebr. XI*, 24 *ſeqq.* 4.) Sapientiam Ægyptiacam cerni potiſſimum in abſurda enumeratione fabularum de diis ſuis & ſemideis, ad aſtronomiam ſpectantium, inque ſtudioſa artium magicarum cultura, de qua *Exod. VII*, 11. 12. ÆLIANUS *Animal. lib.* VI. c. XXXIII. Ægyptios, ait, magica quadam ratione illi genti propria, aves de coelo deducere: atque ſerpentes, carminibus quibusdam incantatos, e latibulis poſtmodum facillime extrahere, μαγείᾳ τινὶ ἐπιχωρίῳ τοὺς ὄρνιθας ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταφέρειν, τῶν δὲ φωλεῶν τοὺς ὄφεις, ἐπαοιδαῖς τισι καταγοητεύσαντες, εἶτα μέντοι προάγουσι ῥᾶστα. 5.) Conditionem Judæorum in rebus ſacris & politicis multo fuiſſe ſplendidiorem, quam omnium reliquarum gentium, & adeo non deſpicatui habitam, ut ipſe profiteatur *Pharao*, Iſraëlitas numero & potentia plus valere, quam Ægyptios, *Exod. c. I*, 9. Memorant quidem ante *Moſis* tempora *Athotem*, ſeu, ut *Alexandrini* illum vocant, Θωὺθ, ut *Græci*, Ἑρμῆν, *Mercurium*, Menis, primi Ægyptiorum regis filium, illique legum literarumque inventionem tribuunt: ſed ipſi ea, quæ poſuiſſe videntur, extemplo reſumunt, vbi confitentur, nihil certi de rebus geſtis ante ætatem *Seſoſtris*, qui *Rehabeamum* bello petiit, 1. *Reg. XIV*, 25. proferri poſſe, τῶν δὲ ἄλλων βασιλέων, οὐ γὰρ ἔλεγον οὐδεμίην ἔργων ἀπόδεξιν, κατ' οὐδὲν εἶναι λαμπρότητος, HERODOT. *lib. II. c. CI.* immo, quod ipſum attinet *Mercurii* nomen, totum illud fabuloſum & myſticum eſſe, nec de homine aliquando in his terris degente, ſed de Deo ipſo, ſeu mente divina intelligendum. v. *Ill.* MARSHAMI *Chronicon*, *ed. Lipſ. p.* 22. 34. 240. 370. *Gothofred.* VOIGTII *Imago SS. Trinitatis*, *p.* 24. ſqq. FABRICIUS, *in Biblioth. Græc. lib. I. c. VII.* Contra ea nos præclarum antiquitatis monumentum e manibus *Moſis* & *Patriarcharum* accepimus, cum quo nihil

hil apud Ægyptios, nihil apud alios vetustate comparari potest, monente TILEMANNO, *discurs. Philol. de Historicorum delectu*, *p*. 51. 7.) Usum literarum hieroglyphicarum non fuisse communem & in vulgus notum, adeoque ad scribendam vulgo historiam ineptum; stelas enim tali dialecto exaratas in subterraneis antris condiderunt, non nisi Sacerdotum coetui perviis, v. AMM. MARCELLIN. *lib. XXII. p.* 232. HERODOT. *lib. II. c. XXXVI.* διφασίοισι δὲ γράμμασι χρέονται καὶ τὰ μὲν αὐτῶν, ἱρὰ, τὰ δὲ, δημοτικὰ καλέεται. serpentum autem corpora ad obliquam duntaxat astrorum conversionem exprimendam usurpabant, CLEMENS ALEX. *Stromat. lib. V.* 8.) Si damus etiam, Auctores supra citatos §. XIX. id dicere, quod isti volunt, nimirum *Mosen* ritum circumcisionis, & alios ab Ægyptiis mutuo sumsisse, tamen exinde nihil damni nostræ sententiæ evenire, cum plerique per errorem Judæos habuerint Ægyptiorum progeniem. STRABO *loco cit. p.* 824. de *Ægyptiis*: καὶ τὸ περιτέμνειν, καὶ τὰ θήλεα ἐκτέμνειν, ὅπερ καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμιμον· καὶ οὗτοι δὲ εἰσὶν Αἰγύπτιοι τὸ ἀνέκαθεν καθάπερ εἰρήκαμεν ἐν τῷ περὶ ἐκείνων λόγῳ, Circumcidunt etiam mares, & foeminas excidunt, quod Judæis est legitimum, qui, ut supra diximus, cum de eis loqueremur, origine sunt Ægyptii. conf. §. II. Ostendit vero etiam *D.* PEARCE quædam loca in perversum sensum trahi, quod quia *Josepho* potissimum accidit, ex quo *D.* MIDLETON non sine contumelia divini Vatis opinionem suam adstruere conatur, ecce locum ipsum cum diversa utriusque explicatione, ut adpareat, quam utile sit & necessarium, quemque auctorem in sua lingua audire loquentem.

§. XXI.

Locus Josephi.

JOSEPHUS *contra Apionem lib. II. p.* 1071. postquam antea pietatem & æquitatem *Mosis* dignis extulisset laudibus, ita pergit:

καλῆς

Καλῆς ἐν αὐτῷ προαιρέσεως καὶ πράξεων μεγάλων ἐπιτυγχανομένων, εἰκότως ἐνομίζομεν ἡγεμόνα τε καὶ σύμβουλον θεῖον ἔχειν. καὶ πείσας πρότερον ἑαυτὸν, ὅτι κατὰ τὴν ἐκείνου βούλησιν ἅπαντα πράττει καὶ διανοεῖται, ταύτην ᾤετο δεῖν πρὸ παντὸς ἐμποιῆσαι τὴν ὑπόληψιν τοῖς πλήθεσιν. οἱ γὰρ πιστεύσαντες ἐπισκοπεῖν θεὸν τοὺς ἑαυτῶν βίους, οὐθὲν ἀνέχονται ἐξαμαρτεῖν. τοιοῦτος μὲν δή τις αὐτὸς ἡμῶν ὁ νομοθέτης, οὐ γόης οὐδ᾽ ἀπατεὼν ἅπερ λοιδοροῦντες λέγουσιν ἀδίκως. ἀλλ᾽ οἷον παρὰ τοῖς ἕλλησιν αὐχοῦσιν τὸν μίνω γεγονέναι, καὶ μετ᾽ αὐτὸν τοὺς ἄλλους νομοθέτας. οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν τοὺς νόμους ὑποτίθενται. ὁ δέγε μίνως ἔλεγεν ὅτι εἰς τὸν ἀπόλλω καὶ τὸ δελφικὸν αὐτοῦ μαντεῖον τὰς τῶν νόμων μαντείας ἀνέφερεν, ἤτοι τἀληθὲς οὕτως ἔχειν νομίζοντες, ἢ πείσειν ῥᾷον ὑπολαμβάνοντες. τίς δ᾽ ἦν ὁ μάλιστα κατορθώσας τοὺς νόμους, καὶ τίς ὁ δικαιότατα περὶ τῆς τοῦ θεοῦ πίστεως ἐπιτυχὼν, πάρεστιν ἐξ αὐτῶν κατανοεῖν τῶν νόμων ἀντιβάλλοντες.

VERSIO ANTIQVA.

Ex maximis actibus in ſingulis caſibus uſus eſt. Quapropter recte judicabat ducem atque conſultorem ſe deum habere: & primitus ſibimet ſatisfaciens, quia ſecundum illius voluntatem univerſa gereret atque tractaret, credidit modis omnibus oportere, ut etiam apud plebem hæc opinio permaneret. Nam qui Deum reſpicere ſuam vitam credunt, delinquere non præſumunt. Hujusmodi quidem noſter legislator fuit, non magus, non fallax, ſicut derogatores injuſte pronunciant: ſed quales apud Græcos gloriantur fuiſſe Minoëm, & poſt eum Legislatores alios. Namque quidam eorum leges poſitas a Jove dicebant: alii vero eas in Apollinem & vaticinium Delphicum referebant, ſive pro veritate hoc credentes, ſeu facile perſuadendum judicantes populo. Qui vero præcipuas leges inſtituerint, vel qui juſtiſſime de Dei fide cognoverint, licet hoc ex ipſis legibus facta comparatione conſpicere.

§. XXII.

VERSIONES

Versiones diversæ.

D. MIDLETON. p. 331.

Que ce grand homme, dont les intentions étoient si justes & si nobles, pouvoit bien présumer qu'il avoit Dieu pour guide & pour conseiller; que s'en étant une fois persuadé, il jugea qu'il étoit absolument nécessaire de le persuader aussi aux Juifs; & qu'à cet égard il n'agit point en Magicien ou en Imposteur comme certaines gens l'en ont injustement accusé, mais à la maniére des fameux Legislateurs de la Grece, qui pour rendre leurs bons desseins plus efficaces, avoient accoutumé d'attribuer aux Dieux l'origine de leurs Loix, & sur tout à la maniére de Minos, qui feignoit d'avoir reçu d'Apollon & de l'Oracle de Delphes, les Institutions dont il étoit lui-même l'Auteur„.

D. PEARCE. p. 348.

Son dessein (de Moïse) étant louable, & ses Actions grandes, nous crumes, ou plutôt (comme l'ancienne version Latine porte il crut) avec raison qu'il avoit Dieu pour guide & pour conseiller. Et étant premiérement persuadé lui même qu'il agissoit, & conduissoit toutes choses par la volonté de Dieu, il jugea qu'il étoit sur tout nécessaire d'instiller la même opinion dans l'esprit du peuple; car ceux qui croient que Dieu est le temoin de leur conduite & de leurs actions, ne s'exposeront pas à pêcher. Tel fut nôtre Legislateur, & non pas un Magicien & un Imposteur, comme on nous le reproche injustement: mais un homme semblable à Minos & aux autres Legislateurs qui sont venus après lui, & dont les Grecs se glorifient; car quelques uns d'entre eux ont prétendu que leurs Loix (leur avoient été données par Jupiter) & Minos soutenoit que ses Loix étoient émanées d'Apollon & de l'Oracle de Delphes: tous le croiant réellement ainsi, ou s'imaginant de pouvoir plus aisément par là persuader (aux hommes de les recevoir) mais il est aise de juger en com-

comparant ces Loix entre elles, lesquels (de Moïse ou des Legislateurs Grecs) ont fait les meilleures Loix, & les quels avoient le plus de raison de se persuader que leurs Loix venoient de Dieu.„

§. XXIII.

Hinc judicari potest, num vera sint, quæ exinde concludit, & *D. Waterlandio* opponit *D.* MIDLETON. Ait l. c. Une telle declaration de la part d'un Juif si savant, dans le tems même qu'il défend sa Religion, & qu'il en reléve l'excellence & la preéminence, doit nous apprendre à avoir des sentimens moins outrés & plus mesurés de l'origine céleste de cette Religion, aussi bien que de l'Inspiration divine de Moïse son Fondateur; & tant que l'on défendra l'une & l'autre de ces choses dans le sens absolu et illimité que les Théologiens animés du même zêle, & imbus des mêmes opinions que vous, l'entendent, ce sera une pierre d'achopement pour les personnes sensées, qui arrêtera le progrés de la Réligion en rendant son autorité douteuse & suspecte.„ *Quid ex hoc loco colligi possit?*

§. XXIV.

Sed quando diabolum auctorem primi peccati facimus, §. VI. VII. quæritur, *num ille duntaxat speciem & formam serpentinam adsumserit, an vero ad istam fraudem suam etiam naturali serpente, tanquam organo & instrumento quodam, abusus sit?* Personatum & larvatum fuisse serpentem, & ea fraude hominem adgressum esse, qua regem *Saulum* sub persona Samuelis lusisse dicitur, *Sam.* XXVIII. contendunt plurimi. Ex hoc profluxit, quod CAJETANUS disputat, diabolum non externa voce, sed interna duntaxat suggestione Evæ locutum fuisse, & quod alii præsumunt, larvam sumsisse non serpentis vulgaris, sed illius, qui dicitur שרף *ab igneo fulgore*, & מעופף *a singulari agilitate*, *Num.* XXI, 6. *Jes.* XIV, 29. XXX, 6. quomodo & STRABO *lib.* XV. volucrium serpentum atque scorpionum meminit in India, per noctem volitantium, p. 703. Adjuvat hos *Cabalistarum* inventio, qui obser- *Diabolus serpente usus est tanquam instrumento.*

ſervant נחש ſerpens & השטן Satan, demto ſaltem uno, in numeris æquipollere. Enim vero cum ſacra Scriptura tot exempla ſuppeditet animalium a malo dæmone obſeſſorum, cumque divinus ſcriptor aperte eos connumeret animantibus terræ, quæ Deus fecerat, *v.* 1. *coll. cap. I*, 25. & idem inſuper prædicatum calliditatis, etiam poſt lapſum, ſerpenti naturali relinquat, *Gen.* XLIX, 17. *Pſalm.* LVIII, 5. 6. *Matth.* X, 16. non opus eſt, ut textui tantam vim inferamus, ſed ſolum, ut, quod tota ſuadet hiſtoria, ea prædicata, quæ ſerpenti naturali conveniunt, ipſi quoque tribuamus, quæ vero illius vires excedunt, diabolo ejusque inſidioſæ operationi adſignemus. Incarnationem tamen *cariſſimi Salvatoris noſtri* hic in ſimilitudinem adducere nolim, uti fecit *Rev.* DELAUNY *libro cit.* Ait, qu'un Eſprit ſe revétant du corps du ſerpent & agiſſant par ce corps, peut très bien être appellé un ſerpent, de même que le Fils de Dieu ſe revétant d'un corps humain eſt appellé homme,,. Regeris, probabile non eſſe, quod Deus creaturas ſuas permiſerit tam cito corrumpi, & a concreata perfectione tam turpiter delabi, primo adhuc tempore, & in eo ſtatu, cui idem ſingulariter benedixit, *c. I*, 22. aliam eſſe rationem ſtatus peccati, per quod diabolus Tyrannidem ſuam in mundo ſic conſtituit, ut & propter hominem peccatorem cetera animantia vanitati ſubjecta eſſe debeant, *Rom.* VIII, 20. immo plane non eſſe conſentaneum bonitati & juſtitiæ divinæ, ea opera, quæ paullo ante adprobaverat, & ipſa adprobatione in viribus atque actionibus ſuis confirmaverat, ſtatim ita negligere, ut infelix evadant inſtrumentum fœdiſſimi ſpiritus, & nefandæ ejus malitiæ ſine ſua culpa permittantur. Sed, ſi Deus permiſit, hominem ipſum, creaturam inter viſibiles longe præſtantiſſimam, a Satana tentari, & propter neglectum uſum virium, quas in creatione acceperat, penitus depravari, §. XI. ſi videmus etiamnum homines in ſtatu gratiæ per fidem collocatos ſæpe mali dæmonis exponi vexationibus intenſiſſimis, *Hiob II*, 5. 6. quid quæſo remanet

net abſurditatis, ubi juxta expreſſam verbi divini litteram tale quid in brutis adhuc ante lapſum exercuiſſe colligimus, Deo quidem permittente, & quidem non aliam ob cauſam permittente, quam ut ad finem ſuum pertingeret, ut nempe homo probaretur, velletne Deo obedientiam præſtare, nec ne?

§. XXV.

Deus in judicio ſuo diabolum, primum peccatorem, inprimis intendit.

His præſuppoſitis, *nullum poteſt eſſe dubium, quin Deus in judicio peccatoribus conſtituto inprimis diabolum intenderit, tanquam primum & graviſſimum peccatorem, & proprium mendacii patrem, Jo. VIII, 44.* Inde nonnulli quoque ſibi perſuaſerunt, in tota hac ſententia Dei judiciaria nullas eſſe partes ſerpentis naturalis, culpæ omnis expertis, ſed ſolius mali dæmonis, ad primam defectionem etiam illud tanquam cumulum addentis, ut ſecum & hominem perderet. Quod igitur ad priora Dei verba attinet, ubi dicitur: *Quod feciſti hoc, maledictus tu præ omni jumento, & præ omni beſtia agri, ſuper ventre tuo gradieris, & pulverem comedes omnes dies vitarum tuarum:* ſenſu explicant allegorico & naturæ diabolicæ convenientе. „Quemadmodum, ait, *Seb.* SCHMIDT, qui quidem alias ſerpentem naturalem in hac hiſtoria non excludit penitus, ℣. 1. ſerpens, primo, eſt ex ignobilioribus creaturis beſtiarum: ita tu maledictione mea eſto ignobilior omnibus beſtiis & feris agri, dejectus e ſtatu angelico nobiliſſimo. Quemadmodum deinde, ſerpens ſuper ventre ſuo ambulat inter reptilia ignobiliora: ſic tu e cœlo dejectus ſuper terra & in aëre vagaberis, nec te unquam in cœlum attollere poteris. (*Hiobi I, 6. II, 1. dicitur inter cœlites fuiſſe.*) Quemadmodum tertio, ſerpens terram comedit: ſic tu cibo cœleſti & angelico æternum privatus proprias tuas ſordes comedes, & terrenis furfuribus te paſces, donec in æternum pereas.

Sententia Seb. Schmidt pœnam ſoli diabolo tribuentis.

§. XXVI.

Eadem explicatio allegorica B. Starckii.

Magis adhuc neceſſarium eſt hoc modo textum interpretari illis, qui diabolum ſub ſchemate ſaltem ſerpentis adparu-

paruisse existimant, §. XXIII. quos inter numerat B. STARCKIUS, WITSIUM, *Oecon. Fœd. l. IV. c. I.* §. 3. GUSSETIUM, *in Controv. adv. Jud. Tern. p.* 4. *seqq.* e nostris *cit.* SCHMIDT, D. MAJUM, *Dissert. Sacr. Loc. VII. orac.* 2. *c.* 1. *& Oecon. Temp. V. T. c.* 4. *Jo.* WINCKLERUM, *seniorem quondam Hamburgensem, in Exord. Conc. super Tentatione Christi ex Matth. IV. contra Beckerum anno* 1694. *habitæ*, *Sigism.* HOSMANNUM *in Notis Germ. ad Lightfooti Observat. in Gen.* M. ORTLOBIUM *in Schediasm. de serpente non punito cum Satana*, *Cel.* RUSIUM, *Prof. Jen. in exercit. de Serpente, seductore non naturali, sed solo diabolo, ad Gen. III,* 1-15. indeque simili paraphrasi textum exponens, „ Super depressum, ait, seu incurvatum tuum, עַל־גְּחֹנְךָ תֵלֵךְ (vi radicis chald. גחן notantis depressionem & incurvationem sive capitis, sive pectoris, sive ventris, coll. 1. Reg. XVIII, 42.) incedes: (scilicet (α) quoad statum, dum e principatu tuo, tuoque domicilio, Jud. ℣. 6. ejectus, eque communione Dei & sodalium beatissima, in depresso ac humillimo statu vivere cogeris: (β) quoad intellectum & voluntatem, dum in veritate, adeoque & in vera sapientia, sanctitate & gloria non perstitisti, Jo. VIII, 44. sed demisisti te in mendacium tibi jam proprium, Jo. VIII, 42. itaque in omnium peccatorum ac errorum labyrinthum, a cognitione & fruitione summi boni in Deo, ab amore & desiderio ejus, in odium perpetuamque inimicitiam, immo in summi mali abyssum, æternarumque tenebrarum tartarum detrusus es, coll. Apoc. XX, 3. 2 Pet. II, 4. Hinc utique creatura quavis, etiam minima, deterior factus es, maledictus præ omni bestia agri, quoniam hæc in concreata bonitate sua suo modo se oblectare potest: contra mendacium, error, fraus, nihil sunt, nec exhilarare, satiare, tranquillare possunt mentem ac voluntatem spiritus, ac altioribus se ut oblectaret, creati. Et licet etiam hominem fraude ac vafritie tua in peccati, & hinc omnium malorum societatem, abstraxeris, habet tamen ille Goëlem suum, qui peccatorum miseriarum-

rumque mole incurvatum ac depressum erigit, atque adserit in omnem felicitatem & beatitudinem, a te nunquam sperandam. Hanc poenam damni sequitur nunc in altero maledictionis membro poena sensus ועפר תאכל כל-ימי חייך & pulverem comedes omnes dies vitæ tuæ. (Quæ phrasis pulverem edere, nec non pulverem lingere, plus dicit, intensioremque adflictionum gradum importat, quam illæ, ponere os suum in pulvere, inclinari ad pulverem, descendere in pulverem, jacere in pulvere; speciatim impiorum ecclesiæ hostium totalem cladem, ruinam, extremamque ignominiam: itaque & ipsius diaboli ad triumphatoris Christi pedes prostrati, Col. II, 15. poenam infernalem depingit.) Pulvis namque abjectissima æque ac molestissima res est, ita ut creatura rationalis, eodem si vesceretur, nil nisi maximum exinde incommodum in ore, gutture, pectore, morbos, ipsamque tandem mortem habitura esset. Deinde pulvis hominis mortui, est ultima vis τυραννικὴ peccati & mortis. Tamdiu enim arrodit corruptio in sepulcro, quod imago est inferni, cadaver humanum, donec in pulverem redigat. Ex quo colligimus, si adeo sævit peccatum in hominis corpus, quod tamen non est πρῶτον δεκτικὸν peccati, sed anima: quanto magis in illam sæviet, & misere lancinabit; cumque spiritus in pulverem redigi nequeat, uti corpus, eo penetrantius cruciabit, ac si annihilare illum vellet. Deus itaque spiritualem cruciatum diaboli re sensibili expressurus, eligebat pulverem, qui vim furiosam mortis & inferni sat clare præfigurat, in indicium, non respicere se ad serpentem naturalem, sed diabolum, cujus cruciatus eo intensior & extensior est, quod sit omnibus diebus vitæ suæ. Jam vero immortalis est spiritus, ideoque in æternum edit hunc pulverem, & in æternum macerat eum tormentum inferni & mortis„.

§. XXVII.

Incommoda hujus explicationis. Boni Viri, veritate moti, cum viderent ſcripturam ſacram ubique diabolum primi peccati motorem adpellare, §. VI. & verba, quæ ſequuntur de ſemine ſerpentis atque mulieris, nullo pacto ſerpenti naturali convenire, ad has cogitationes adducti ſunt, ut mallent totam ſententiam ad ſatanam referre, quam concedere, ſermonem in textu ſolum eſſe de ſerpente corporali, ejusque temporaria maledictione ad dies vitæ ſuæ, §. XXV. Interim tamen res expedita non eſt, & laborat adhuc difficultatibus graviſſimis. Ita enim pœna rebellionis diabolo & omnibus ſuis angelis primitus inflicta confunditur cum pœna ſingularem hunc tentationis actum concernente, & ipſi ſimul textui magna vis infertur, cum omnia vertantur in ſenſum allegoricum, qui nimis adfectatus eſſet, & cum legibus ſcribendæ hiſtoriæ vix, ac ne vix quidem, componi poſſet, quanquam, ubi verba, ſuppoſito litterali ſenſu, propter aliquam convenientiam in ſenſu myſtico ad dæmonem adcommodentur, iſtiusmodi inſtitutum innocens nequaquam improbamus. Serpentem a diabolo obſeſſum diximus §. XXIV. quid igitur erit inſolentiæ, ubi ſecundum ipſam divini vatis litteram ſerpenti quoque propterea, quod illo Satan ad peccatum abuſus eſt, partem quoque pœnæ tribuimus? Immediata utriusque verſus connexio per copulativum ו quid impediat, quo minus ita ſentiendum ſit, non video, inprimis ubi reſpici velit ad arctiſſimam ſerpentis & diaboli ex ſerpente loquentis conjunctionem: nec vocabulum אמר *Et dixit Deus ad ſerpentem*, rem relinquit dubiam; dixit enim Deus, ut extemplo beſtiæ ante hac non injucundæ mutatio in formam probroſam & deteſtabilem fieret, tamque repentina mutatione homini demonſtraretur, quid ſit, a deo & expreſſa ejus voluntate per peccatum deſciſcere, cum & operibus, quibus ad peccandum nec motus ullus, nec ſenſus eſt, nequaquam parcat, eo quod improbitatis inſtrumenta fuerunt. conf. *Matth.* XXI, 19. *Marc.* XI, 14.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

In hac causa testis est ipsa experientia *cum* respectu Dei, *tum* creaturarum. *Exod.* XXI, 28. 29. bos cornupeta, ubi hominem interfecerit, lapidari jubetur. *Deut.* XIII, 15. præcipitur, ut civitas ad cultum idololatricum conversa sic evertatur, ut non homines solum, sed & pecora & supellectilia quævis pereant. conf. *Levit.* XX, 15. *Num.* XVI, 32. *Deut.* VII, 25. *Jos.* VII, 24. 1. *Sam.* XV, 3. Ipsum corpus humanum, cum illius nulla culpa sit, propter animæ consortium, morti adjudicatur, Gen. III, 19. Atque hæc agendi ratio etiam in vita communi perquam usitata est, ut scelerum instrumenta, *v. g.* gladius homini fatalis, destruantur, organa vero rerum laudabilium honorentur, & in perpetuam factorum memoriam summo studio conserventur. Sic *Epaminondas* moribundus scutum velut laborum gloriæque socium osculatus est, apud JUSTINUM *lib. VI. c. VIII.* Quod *serpentes* attinet, videmus ad hunc diem, illos hominum & animalium conspectum fugere, victum illorum, etiam aquaticorum, esse sordidum atque difficilem, & ordinarium domicilium cavernas ac terræ qualiacunque foramina. Neque est, quod dicas, ambulationem super ventre, & omne id, quod vulgo maledictioni adscribitur, serpenti videri neque molestum, neque ignominiosum, sed plane naturale, & cum aliis terræ animantibus commune. Quicquid enim horum nunc sit, cum tamen quidam observare velint, corpus serpentis multo esse imperfectius, quam reliquorum animantium, nobis hactenus potest sufficere, serpentem olim erecto creatum corpore, per maledictionem depressum & incurvatum esse, & maxime propter hominem, ut vivum haberet exemplum iræ divinæ, ejusque contra peccata severitatis perpetuum ad omnem posteritatem monumentum exstaret.

Probatio sententiæ contrariæ ex experientia.

§. XXIX.

Quid autem testimonio PLINII tribuendum sit, quod nonnulli citant, ut exprobratam absurditatem in adserenda ser-

Testimonium Plinii. Error Cornelii a Lapide.

serpentibus statura erecta facilius declinent, aliorum esto judicium. Ille ait visos sibi esse serpentes anserinis pedibus, *lib. XI. Hist. Nat. cap. LXVII.* Ubi res ipsa loquitur, non opus est ad incerta confugere. *Dn.* DELAUNY *libr. cit.* existimat esse probabile, que Dieu a permis que ces animaux conservassent encore un petit reste de leur anciene beauté, afin de nous donner quelqu' Idée de l'état glorieux, où ils avoient été créez, & du quel ils sont décheus par la malediction dont Dieu les a frappez „. Errorem errore cumulat CORNELIUS a LAPIDE, qui hic tantum invenit mutationem proprietatis antea naturalis in ignominiosam, & consentientes habet *Mercerum, Bochartum, alios.* „ Sicut, inquit, mors homini & humano corpori ex elementis contrariis composito est quasi naturalis, sed post ejus peccatum cœpit illa esse pœna peccati: sic reptare super terram, fuit serpenti naturale, sed post peccatum ordinatum fuit illi in infamiam. Cur enim quæso, serpenti, in quo non erat culpa, naturalia dona tollerentur, quæ nec dæmonibus propter peccatum ablata fuerunt „? conf. B. LUTHERI *Comment. in Gen. p. LII.*

§. XXX.

Pœna diabolo a Deo inflicta cum refutatione eorum, qui inimicitiam hanc de odio salutem hominum & serpentum intelligunt.

Causam lapsus principalem, extrinsecam & impellentem, Satanam fuisse, dictum est in præcedentibus. *Necessarium igitur fuit, & ipsi singularem pœnam statuere, quæ inprimis in eo cernitur, quod Deus spem atque opinionem illius, qua persuasissimus fuit, actum nunc etiam esse de salute hominum, illosque jam secum in perpetuam omnium malorum communionem coivisse, uno momento profligavit, simulque ipsi ostendit personam futuri judicis: tantum nimirum abesse, ut hominem cum eo penitus perire sinat, ut potius ex eo semen sit excitaturus, quod potentiam & tyrannidem ejus evertat, & regno diabolico cum ipsius & omnium suorum angelorum interitu finem imponat.* JUDÆ v. 6. *Apoc.* XII, 9. Hæc exprimuntur in verbis sequentibus: *Et inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter semen tuum & inter semen illius. Ipsum conteret tibi caput, &*

tu conteres ipsi calcaneum. Non hic sermonem esse de serpente naturali, & odio, quod illi cum hominibus intercedit, sed de diabolo serpentem animante, Textus ipse clamat: ut absurda sit translatio *Anon. Werth*: daher sagte GOtt zu der Schlangen: Bist du das unglückseelige Thier auf der Welt/ welches dergleichen gethan hat? Von nun an solst du auf dem Bauch herum kriechen/ und dich die Zeit deines Lebens auf dem Boden nähren. Und künfftig hin soll zwischen dir und der Frau/ und euer beyder Nachkommen eine beständige Feindschafft seyn: dergestalt/ daß die Menschen den Schlangen auf den Kopff treten/ und diese hingegen jene in den Fuß stechen werden. Propositio generalis est, diabolum & hominem, omnemque illorum progeniem concernens, cum tale quid de serpente naturali & homine dici nequeat. Dantur enim regiones, in quibus istiusmodi inimicitia plane locum non habet. De *Creta* insula ÆLIANUS, *Histor. Animal. lib. III. cap. XXXII.* ἡ Κρήτη καὶ λύκοις, καὶ τοῖς ἑρπετοῖς θηρίοις, ἐχθίστη ἐστὶ, Creta lupis, & reptilibus, inimicissima est,,. SOLINUS, *Polyhist. cap. XVII.* Lupos, vulpes, aliaque quadrupedum noxia, nunquam educat: serpens nulla: phalangium, aranei genus, est: si nisum quæras, nulla vis est; si potestatem, ictum hominem veneno interficit,,. PLINIUS, *lib. VIII. c. LIIX.* Non sunt lupi in Creta insula, non vulpes, ursive: atque omnino nullum maleficum animal, præter phalangium, aranei id genus, de quo dicemus suo loco,,. De *Sardinia* PAUSANIAS, *Phocicorum cap.* XVII. p. 839. *ed. Lips.* ὄφεις δὲ οὔτε οἱ ἐπὶ συμφορᾷ τῇ ἀνθρώπων, οὔτε ὅσον ἀνώλεθρον αὐτῶν, οὐδὲ λύκοι τρέφεσθαι πεφύκασιν, Serpentes autem neque hominum generi infensi, neque nocivi, aut lupi uspiam in ea insula gignuntur,,. Aliæ vero provinciæ serpentibus ita infestantur, ut illorum morsus non aliquos saltem dolores, per contritionem calcanei forte præfiguratos, sed præsentissimam mortem importent, deque contritione capitis, seu cæde serpentum homini ne cogitandum quidem,

aut sperandum unquam sit. Ita *Rhodiorum* insulam multitudine serpentum plane devastatam olim fuisse, magnumque hominum numerum interiisse, discimus ex DIODORO, & HYGINI *poëtico Astronomico.* ARRIANUS *in libro rerum Indicarum, p.* 538. 539. *ed. Blancard.* serpentes describit, contra quorum morsus nemo Græcorum medicorum remedium invenire potuisset, ὅσοι δὲ ἰητροὶ ἕλληνες, ἴϛοισιν ἐδὲν ἄκος ἐξεύρητο ὅςις ὑπὸ ὄφεως δηχθείη ἰνδικῦ. CURTIUS *lib. IX. c. I.* 12. Cæterum, ait, hic quoque serpentium magna vis erat, squamis fulgorem auri reddentibus, virus haud ullum magis noxium est: quippe morsum præsens mors sequebatur; donec ab incolis remedium oblatum est,,. Et STRABO, *lib.* XV. *p.* 723. *de eadem Alexandri in Indos expeditione*, A serpentibus, inquit, etiam periculum aderat. Nam in arenæ cumulis herba quædam innata, serpentes occultabat, a quibus icti, illico moriebantur, ἴϛες δὲ πληγέντας ἀπέκταν. Hinc, ut vitæ tantum suæ aliquo modo consulerent barbari, *illicitis* artibus operam dabant, virtute quadam magica periculum repellere tentantes. NEARCHUS *apud cit. Geographum, lib. XV. p.* 706. qui Alexandrum M. comitabatur in Indiam, malitiam serpentum describens, addit: circumvagari incantatores, qui medicari putantur: & solam fere hanc medicinam esse, ἐπῳδὲς δὲ περιφοιτᾶν πεπιςευμένες ἰᾶσθαι, καὶ εἶναι σχεδόν τι μόνην ταύτην ἰατρικήν. PLINIUS, *lib. VII. c. II.* Crates, ait, Pergamenus in Helesponto circa Parium genus hominum fuisse tradit, quos Ophiogenes vocat, serpentum ictus contactu levare solitos, & manu imposita venena extrahere corpori,,.

§. XXXI.

Continuatio ejusdem materiæ.

In his atque similibus exemplis quæ statuenda erit inimicitia? qualis contritio capitis, aut calcanei? Dantur & multi, qui non ima hominis petunt, sed propter ingentem corporis molem vel obvios cum magna violentia adgrediuntur, STRABO ex *Megasthene* & *Nearcho*, *lib. II. p.* 70. XV. p. 719, & 706. XVI. p. 755. PLINIUS, *lib. VIII. c. XIV.* ARRIANUS *l. cit.*

CUR-

CURTIUS, *lib. VI. c. IV.* 18. IX. *c.* I. 4. vel, ſi ſunt parvi & vix ſpithamam longi, tamen usque ad ilia adſiliunt, ictuque ſuo incurabile vulnus infligunt, quales apud *Sabæos idem* memorat GEOGRAPHUS, *lib. XVI. p.* 778. conf. CLERICUS ad h. l. *de ſerpente Jaculo*; hunc enim ex arborum ramis vibrari, nec pedibus tantum pavendos ſerpentes, ſed & miſſili volare tormento, PLIN. *lib. VIII. c. XXIII.* Præterea, ſi quid concedi poteſt in hac materia, dicendum eſſet, hoc divino judicio conſtitutum eſſe *odium quoddam* inter ſemen mulieris, & ſemen ſerpentis, quo uterque ad alterius conſpectum cohorreſcat ac fugiat, §. XXVIII. hoc autem verba divini interrpretis nequaquam exhaurit. Ita enim dicendum fuiſſet, *ponam* שנאה *odium, fugam, averſationem*, inter te & mulierem, non איבה *inimicitiam*, quæ vox nocendi & deſtruendi cupiditatem involvit, ut ſi Dominus dicit, *Exod. XXIII*, 22. ואיבתי את־אויביך ἐχθρεύσω τοῖς ἐχθροῖς σου, *hoſtis ero hoſtibus tuis.* Talem autem inimicitiam ſerpentes inter & homines experientia plane neſcit adeo, ut ne mutuum quidem odium & fugam perpetuam adſerat. In *Suſiana Perſidis* ſerpentes urbis etiam vias tranſire ſine damno ſolebant, STRABO, *lib. XV. p.* 731. SUETONIUS in *vita Tiberii, cap. LXXII.* Erat ei in oblectamentis ſerpens draco, quem ex conſuetudine manu ſua cibaturus, cum conſumptum a formicis inveniſſet, monitus eſt, ut vim multitudinis caveret: cujus exempli occaſione multa dixit *Cel.* GRUTERUS de draconibus innoxiis, qui nec fugiunt homines, nec vulnere lædunt, *lib. I. Suſpicionum, c.* 18. Quam venerabilis Romanis fuerit ſerpens Epidaurius, nemo eſt neſcius, v. AUREL. VICT. *de V. J. c. XXII.* PAUSANIAS, *Corinthiacorum c. XXVIII.* Dracones quidem cum omnes, tum inprimis eorum quoddam genus, fulvo colore conſpicuum, Æſculapio ſacri habentur, καὶ εἰσιν ἀνθρώποις ἥμεροι, *ſuntque illi hominibus cicures*, HERODOTUS *lib.* IV. *c.* CLXXXIII. & PLINIUS, *lib.* V. *c.* VIII. Troglodytis victum tribuit carnem ſerpentum.

§. XXXII.

§. XXXII.

Odium serpentum hominibus cum aliis animantibus commune.

Præterea hoc Dei decreto judiciali nec homini, nec serpenti quicquam accidit, quod ipsis non esset etiam cum omnibus reliquis animantibus commune. Solemus enim omnes bestias nocentes eodem odio prosequi, vel & majore, quo nimirum hæc vel illa regionibus quibusdam videtur esse molestior. Sic *Nili accolæ* non tam cum serpentibus, quam crocodilis conflictantur. De *Tentyritis* ait STRABO, *lib. XVII. p.* 814. quod illi præter cæteros Ægyptios excellenter crocodilum detestentur, & ex omnibus beluis inimicissimum habeant, ἐνταῦθα διαφερόντως παρὰ τοὺς ἄλλους Αἰγυπτίους ὁ κροκόδειλος ἠτίμωται, καὶ ἔχθιστος τῶν ἁπάντων θηρίων νενόμισται Et serpentes quoque non malum magis ab homine, quam ab animantibus brutis metuunt, manifesto indicio, si quid etiam de naturali quadam ἀντιπαθείᾳ adferri velit, id omne pertinere ad versum capitis antecedentem, ubi dicit Dominus ad serpentem: *Quia hoc fecisti, maledictus tu præ omni jumento, & præ omni bestia agri*, §. XXVIII. Talem Ophiomachiam refert APULEJUS *lib. I. Floridor.* cit. etiam SCHOTTO *ad Pomponii Melæ lib. III. c. VII. lin.* 25. ubi de Indis & Gymnosophistis: „ Apud illos, inquit, immensi dracones cum immanibus elephantis pari periculo in mutuam perniciem concertant. Quippe lubrico volumine indepti revinciunt: & illis expedire gressum nequientibus, vel omnino abrumpere tenacissimorum serpentium squameas pedicas; necesse sit ultionem a ruina molis suæ petere, ac retentores suos toto corpore oblidere,,. HERODOTUS de alatis serpentibus, *lib. II. c. LXXV.* Λόγος δέ ἐστι ἅμα τῷ ἔαρι πτερωτοὺς ὄφις ἐκ τῆς Ἀραβίης πέτεσθαι ἐπ' Αἰγύπτου. τὰς δ' ἴβις τὰς ὄρνιθας ἀπαντῶσας ἐς τὴν ἐσβολὴν ταύτης τῆς χώρης, οὐ παριέναι τοὺς ὄφις, ἀλλὰ κατακτείνειν. καὶ τὴν ἴβιν διὰ τοῦτο τὸ ἔργον τετιμῆσθαι λέγουσι μεγάλως πρὸς Αἰγυπτίων. ὁμολογέουσι δὲ καὶ Αἰγύπτιοι διὰ ταῦτα τιμᾶν τὰς ὄρνιθας ταύτας, Fertur ex Arabia serpentes alatos ineunte statim vere in Ægyptum volare, sed eis ad ingressum planiciei occurrentes aves ibides, non permit-

tere,

tere, ſed ipſos interimere: & ob id opus ibin magno in honore ab Ægyptiis haberi Arabes ajunt, confitentibus & ipſis Ægyptiis idcirco ſe his avibus honorem exhibere,,. Conſimiliter JOSEPHUS *Antiquit. Jud. lib. II. c. X. p.* 58. ubi loquitur de *Moſe* contra Æthiopes per interiora terræ expeditionem faciente, quomodo noxios ſerpentes per *ibides* ab exercitu ſuo averterit.,, Eſt autem hoc animal infeſtiſſimum ſerpentum generi. quapropter fugitant earum inſectationem, & inter fugiendum ſicut a cervis retracti devorantur: ſunt autem manſuetæ alites, & contra ſolos ſerpentes feroces. de quibus nunc deſino plura, utpote apud Græcos non incognitis, *πολεμιώτατον δ᾽ ἐστὶν ὄφεσι τοῦτο τὸ ζῶον. φεύγουσί τε γὰρ ἐπερχομένας, καὶ ἀφιστάμενοι καθάπερ ὑπ᾽ ἐλάφων ἁρπαζόμενοι καταπίνονται. χειροηθεῖς δ᾽ εἰσὶν αἱ ἴβεις, καὶ πρὸς μόνον τὸ τῶν ὄφεων γένος ἄγριοι. καὶ περὶ μὲν τούτων, παρίημι νῦν γράφειν, οὐκ ἀγνοούντων τῶν ἑλλήνων τῆς ἴβιδος τὸ εἶδος.* Plura qui vult de ſerpentum natura, legat collectionem exemplorum *Jo.* RAVISII TEXTORIS, *in Officina*, p.m.209. *ſeqq.* Taceam alia incommoda, quæ illos premunt, qui omnia hæc ad ſerpentem naturalem referri volunt, quale & illud eſt, ſi dixeris, actus ipſos Dei judiciales ita manifeſte confundi, & pœnam hominis graviſſimam, puta illius violentum interitum ſerpentis ictu promovendum, intempeſtive quæri in his verbis, antequam Deus ſermonem ſuum ad Mulierem & Adamum direxerit.

§. XXXIII.

Verba: Inimicitiam ponam, &c. etiam Vett. Judæi de diabolo explicarunt.

Quodſi inſeparabiles hæ difficultates conferantur cum eo, quod ſupra evicimus, diabolum fuiſſe cauſam lapſus principalem, & hinc principali quoque ac ſeveriſſimo ſupplicio dignum, certe non video, quid cum aliqua ſaltem ſpecie veritatis opponi poſſit, ubi verba hæc tam emphatica de eodem infernali dracone explicentur: *Et ponam inimicitiam inter te & inter mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius.* Senſerunt ex ipſis etiam *Judæis* aliqui ſoliditatem horum argumentorum, quemadmodum illorum ſcripta teſtantur.

R. SAMUEL: Qui recte vult intelligere hæc verba, Inimicitiam ponam, &c. ita intelligat: Diabolus plenarias inimicitias gerit adversus omnes, qui Deo inservire student, & operam omnem eo convertit, ut eos ad errorum præcipitia ducat „. TARGUM HIEROSOLYMITANUM: Et erit, quando filii mulieris operam dabunt legi, & fecerint præcepta, tunc studebunt tibi conterere caput, & occident te. Cum vero deseruerint filii mulieris præcepta legis, nec servabunt mandata, tu operam dabis, ut mordeas eos in calcaneis eorum, & ita noceas eis. Similis est interpretatio JONATHANIS *Ben-Vziel*. v. GLASSIUS *Christolog. Mosaic.* p. 68.

§. XXXIV.

Contritio cap. serp. opus solius Messiæ.

Intercedit igitur inimicitia inter diabolum & mulierem, inter semen illius & semen hujus, ita tamen, ut hoc illi immensum prævaleat, ejusque vim atque potentiam internecione debellet. Contritio diaboli pertinet ad beneficia Messiæ, & est opus ipsius filii Dei, ad quod perficiendum ψιλὸς ἄνθρωπος nequaquam sufficeret. Hinc ait CLERICUS ad h. l. dubium non est, quin, si serpentis nomine Cacodæmon hic significetur, Messias ei caput contriverit, h. e. ejus potentiam everterit „. Quicquid enim nos contra illius tyrannidem opesque diabolicas tentamus aut possumus, id omne in virtute Christi tentamus & possumus, qui conterit Satanam etiam sub pedibus nostris. ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν Σαταναν ὑπὸ τὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει. *Rom.* XVI, 20. Dicta Scripturæ, quæ opus hoc Messiæ soli tribuunt, clariora sunt, quam ut cum ratione oppugnari queant. *Psalm.* CX, 1. *Ait Jova Domino meo: sede ad meam dexteram, donec tuos hostes effecero scabellum pedum tuorum* „. Explicat hoc dictum PAULUS, 1. *Cor. XV.* 25. 26. Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρις ὗ ἂν θῆ πάντας τὺς ἐχθρὺς ὑπὸ τὺς πόδας αὐτῦ. ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος. Mortis autem vim habet diabolus, *Hebr. II*, 14. 15. ἵνα διὰ τῦ θανάτυ καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τῦ θανάτυ, τυτέςι διαβόλυ. 1. *Jo. III*, 8. εἰς τῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τῦ θεῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τῦ διαβόλυ. conf.

Col.

Col. II, 15. *Judæ* ℣. 9. ὁ δὲ Μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος, ὅτε τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωσέως σώματος, οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας, ἀλλ' εἶπεν· Ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος. &c. Unde, si nulla alia ratio adferri posset, quæ probaret, semen mulieris hic esse Messiam, satis jam haberemus locis adductis, quæ contritionem diaboli soli Christo vindicant. Sed textus adhuc est fœcundior. Quæro ego, num *divinus* Apostolus plures aut graviores invenerit rationes, cur verba *Genes. XXII*, 18. *In tuo semine omnes orbis terrarum gentes sese beatas ferant, quoniam tu mihi dicto audiens fuisti:* non de *Isaaco*, vel ejus posteris potentioribus, intellecta voluerit, sed de *solo Christo?* Ait *Gal. III.* 16. Τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐῤῥήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. οὐ λέγει· καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός. Καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι χριστὸς, & tanquam bene fundatum repetit *Hebr. II*, 16. Οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. Deinde, cur in verbis extremis non eadem fiat oppositio inter semen serpentis & mulieris, sed ad personam tantum principalem & regni infernalis πρόεδρον respiciatur? *Ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ipsi calcaneum*".

§. XXXV.

Consensus Ecclesiæ Judaica.

Præclara hic sunt monumenta *Ecclesiæ Judaicæ* idem nobiscum sentientis. LXX. Interpretes, neglecto Hellenismo, ipsum etiam genus mutant: Καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σοῦ, καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς. αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. Targum Hieros. Veruntamen remedium erit filiis mulieris, tibi vero serpenti nullum erit remedium; quandoquidem futurum est, ut amoveant morsum, qui factus est in calcaneo in fine extremitatis dierum, ביומי דמלכא משיכא *in diebus regis Messiæ*". Neque obstat, quod Deus dicit: *Ego ponam inimicitiam inter semen serpentis & semen mulieris, inter diabolum & filium hominis*, cum jam antea ab æterno infinitum adversus malum odium in filio fuerit,

 Psalm.

Psalm. XLV, 8. respicit enim saltem æterni illius odii luculentam manifestationem, & certissimam adplicationem ad subjectum peccato obnoxium, non nisi cum omnimoda potentiæ diabolicæ destructione finiendam, 1. *Jo.* III, 8.

§. XXXVI.

Ostenditur cohærentia singulorum textus membrorum.

Ecce tibi, quam bene singula Textus hujus membra cohæreant. Dicit Deus: *Ponam inimicitiam inter te & inter mulierem.* Nominat inprimis *diabolum*, peccati suasorem, & *mulierem*, partim habito respectu ad antecedentia, cum in muliere sisteretur inquisitio criminis: *Serpens decepit me, & comedi*, ex quo PAULUS propositionem comparativam format: Καὶ Ἀδὰμ ἐκ ἠπατήθη· ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε, 1. *Tim.* II, 14. partim vero, & potissimum ad illud, quia mater futura erat omnis viventis, ℣. 20. *h. cap.* & intelligit ita *totum genus humanum*, ad quod omnes susceptæ hujus inimicitiæ fructus pertinent, & cui destinantur, *Jo.* I, 10. præcipue vero *Ecclesiam* virtute Christi regnum Satanæ oppugnantem & conterentem, *Apoc. XII.* 1. *Jo. II. &c.* Hæc enim eo facilius cum Eva matre potest conferri, quo certius est, statim a prolatione horum verborum odium admissi peccati, inimicitiam cum diabolo calamitatum auctore, per divinam gratiam, in ea incoasse, & per reliquum vitæ tempus insigniter crevisse. Deinde addit fundamentum, quo hæc nostra inimicitia nititur, & a quo vires, arma, atque omnes belli necessitates oportet accipere: *Et inter semen tuum, & semen illius.* Opponit *Christo semen serpentis*, hoc est, totam malorum angelorum colluviem, qui in seductione Adamitica patri & antesignano suo adplauserant, & cum quibus omnibus benedicto huic semini decertandum erat, *Col.* II, 15. Referri huc porro potest, *quicquid in mundo malum est*, peccatum, homines improbi; nam & hæc Satanæ progenies, *Jo.* VIII, 44. & Christo ad debellandum proposita, *Jo.* XVI, 33. Mirum autem in modum delirat hic FRANCISCUS GEORGIUS VENETUS,

quan-

quando *Tom. VI. problem. sect. V. cap. 192. referente Gerhardo in Gen. p. 102.* scribit: Theologi antiqui adserunt, esse in dæmonibus genituram, sexum, & animalitatem. quibus favet sententia Dei, dicentis serpenti: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Nisi enim diabolus per serpentem designatus generaret, vanus fuisset ille sermo: Inter semen tuum,,. Tandem & certaminis hujus ἀκμὴν καὶ ἔκβασιν describit: *Ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ipsi calcaneum.* Verbum שוף quod alii juxta CHALDÆI & LXX INTERPRETUM versionem ad serpentis trahunt insidias, gravissimam læsionem indigitat, ut patet ex *Hiobi* c. IX, 17. אשר בשערה ישופני *qui in tempestate conterit me*, TARGUM, מדקדק *comminuit*, LXX. ἐκτρίψῃ, *elidit, exterit*, & *Ps.* CXXXIX, 11. אך חשך ישופני *Veruntamen tenebræ obtenebrabunt me*, quasi a נשף ubi LXX. καταπατήσει με, & Vulg. *conculcabunt me.* Gravis erat læsio Christi, tot tentationibus, calamitatibus, & morte denique ipsa a diabolo, mortis domino, oppugnati, *Psalm.* XVIII, 5. 6. Gravis & adhuc intentatur læsio Christi discipulis, 1. *Petr. V*, 8. 9. LUTHERUS *in Comment. Gen. Germanico, Tom. IV. Jen. p.* 32. postquam Adamum & Evam in exemplum fidei nobis proposuisset, ita pergit: **Also ists auch noch / wenn wir Christum erkennen / und wissen / daß er Sünd / Teuffel und Tod für uns überwunden hat / ist sie dennoch nicht tod / höret nicht auf / so lang wir auf Erden leben. Das Hauptstück haben wir wohl hinweg / das den Teufel überwünde: aber weil wir hie auf Erden sind / soll GOtt und das Evangelium so viel zu schaffen haben / daß man sich immer mit der Sünde schlage / und dem Teufel / der uns in die Versen beisset / widerstehe. Der Schlangen-Schwantz bleibet im Fleisch und Blut / daß wir den Unglauben empfinden im Hertzen / Haß / Neid und Geitz / und was mehr für Sünde sind / welche zuvor regieret haben / und der Kopff gewesen**

sind.

ſind. ꝛc. His ictibus *Chriſti* calcaneo impreſſis etſi prævalere ipſe ſtuduit: tamen omnino non prævaluit, neque ita potuit plenam potentiæ ſuæ deſtructionem evitare, quæ per læſionem eam, qua totum caput conculcatur, in textu deſcribitur.

§. XXXVII.

Quid per contritionem capitis ſerp. Meſſias præſtiterit, exemplis declaratur.

In capite præcipua animalium vis atque potentia cernitur, inprimis autem *ſerpentum*, quod quamdiu non contritum fuerit, homo nequaquam a periculo liber eſt, licet reliquæ corporis partes contritæ ſint. conf. *verba Fr.* JUNII *cit. a Glaſſio, Chriſtol. Moſ.* p. 124. Monet id opportuno exemplo *Epaminondas* Imperator. Quum enim hic ſuos adhortari vellet, ut confidenter in Lacedæmonios impetum facerent, maximum ſerpentem cepit, & ejus in conſpectu omnium attrito capite: Videtis, inquit, quod reliquum corpus inutile ſit, ſi caput adimatur: ita ſi hoſtium capita, nempe Laconicum hoc, contriverimus, reliquum corpus ſociorum nullius erit uſus,,. Ἐπαμινώνδας προτρέπων Θηβαίȣς προθύμως ὁρμῆσαι ἐπὶ Λακεδαιμονίȣς, μέγιςον ἔχιν συλλαβὼν, ἔδειξεν αὐτοῖς, καὶ πάντων ἐναντίον τὴν κεφαλὴν τȣ̃ θηρίȣ συντρίψας, ὁρᾶτε, ἔφη, ὅτι τὸ λοιπὸν σῶμα ἄχρηςον, τῆς κεφαλῆς οἰχομένης· ȣ̋τω δὴ, ἢν τὰς τῶν πολεμίων κεφαλὰς, τὸ Λακωνικὸν τȣ̃το, συντρίψωμεν, τὸ λοιπὸν σῶμα τῶν συμμάχων, ἄχρηςον, POLYÆNUS *Strategematum lib. II. c. III*, 25. *edit. Maaſv.* Profluxit hinc etiam obſervatio CÆSARII, *fratris Gregorii Nazianzeni, cujus dialogi quatuor adjuncti ſunt hujus Operibus.* Ait ille, *Dialogo* IV. *ed. Baſil. Lat. interprete* LEUVENKLAIO, p. 1161. Serpens difficulter comprehenſus totum quidem percutienti corpus exhibet, caput autem illæſum cuſtodire conatur. Et quieti ſe tradens & dormiens, ſemetipſum rotans, medium intra totum corpus caput communit, veluti muro conſequenti tractu circumvallans ipſum,,. Ex his aliquo modo intelligi poteſt, quid per contritionem ſerpentini, h. e. diabolici, capitis *Chriſtus* præſtiterit, & quanta ſit excellentia operis, quo robur omne Cacodæmonis & regni ſui potentia enervata & deſtru-

cta

cta jacet, *Ebr. II,* 14.15. *Ethnici* eos, qui victores atque domitores naturalium serpentum, aut draconum regiones devastantium, exstiterunt, in tanto honore habuerunt, ut interdum pro munere regiam ipsis dignitatem conferrent. Notum est exemplum *Apollinis,* de quo v. *van* DALE de *Oraculorum Ethnicorum Origine atque Auctoribus cap. IV. p.* 81.82. *Attilii Reguli*, in Africa portentosæ magnitudinis serpentem interficientis ad annum M. 3705. *juxta Chronologiam Joann.* FUNCCII, p. 78. E. v. *Cl. Joann.* STADII *Comment. in Florum, lib. II. c. II. n.* 18, 19. p. 80. *Phorbantis* in insula *Rhodo,* de quo DIODORUS: Μετὰ δὲ ταῦτα τῆς Ῥοδίας γῆς ἀνείσης ὄφεις ὑπερμεγέθεις, συνέβη πολλοὺς τῶν ἐγχωρίων ὑπὸ τῶν ὄφεων διαφθαρῆναι. διόπερ οἱ περιλειφθέντες ἔπεμψαν εἰς Δῆλον τοὺς ἐπερωτήσαντας τὸν θεὸν περὶ τῆς τῶν κακῶν ἀπαλλαγῆς. τοῦ δὲ Ἀπόλλωνος προστάξαντος αὐτοῖς παραλαβεῖν τὸν Φόρβαντα, μετὰ τῶν συνακολουθούντων αὐτῷ, καὶ μετὰ τούτων κατοικεῖν τὴν Ῥόδον, τῶν δὲ Ῥοδίων μεταπεμψαμένων αὐτὸν κατὰ τὴν μαντείαν, καὶ μεταδόντων τῆς χώρας, ὁ μὲν Φόρβας ἀνεῖλε τοὺς ὄφεις, καὶ, τὴν νῆσον ἐλευθερώσας τοῦ φόβου, κατῴκησεν ἐν τῇ Ῥοδίᾳ,,. conf. §. XXX.

§. XXXVIII.

Dictum hoc continet primam consolationem nostrorum parentum.

Recte igitur pro prima consolatione habetur a Theologis, & pro fonte omnis misericordiæ omniumque promissionum scaturigine, quibus identidem primi parentes atque eorum posteri animos erigere, & vitæ quævis incommoda patienter ferre didicerunt. Quanto gravius esse cœpit serpentis odium, & crebriores illius μεθοδεῖαι, *Eph.* VI, 11. tanto magis crevit etiam illorum fides in contritorem serpentis, & tanto impensius exstitit in illis desiderium, ipsum divinæ hujus promissionis complementum videndi, *Gen.* IV, 1. *Jo.* VIII, 56. Effectus certe profluentis hinc gratiæ fuerunt in illis hominibus mirifici, præsertim si cogitaveris lucem tam parvam, totque adhuc involucris tectam, cum illorum cognitio fere se haberet, uti nostra respectu futuræ gloriæ. Quemadmodum enim nos optime scimus, nostram felicitatem in æterna vita fore perfectissimam, & tamen adhuc enumerare omnes illi-

us

us partes non valemus, νῦν τέκνα Θεοῦ ἐσμεν, καὶ οὔπω ἐφανερώθη τί ἐσόμεθα, 1. *Joh.* III, 2. conf. 1. *Cor.* XIII, 9-12. ita illi quoque lætabantur hisce divinis promissionibus, easque per fidem animis adplicabant strenue, modum autem eas implendi, & quascunque difficultates homo naturalis hic nectere potuerit, Deo committebant, qui promisit, §. III. Sicuti *Abrahamus* solo verbo divinæ promissionis inhærebat, atque credidit παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν, κατὰ τὸ εἰρημένον. Οὕτως ἔσαι τὸ σπέρμα σου: ita *Protoplasti*, & *qui ex illis nascebantur*, eo quod semel a Deo dictum erat: *Semen mulieris conteret caput serpentis*: crediderunt huic verbo promissionis, οὐ προσαναθέμενοι σαρκὶ καὶ αἵματι, quanquam rationem ipsam, qua opus tanti plenum solatii per semen mulieris expediri possit, profunde ignorabant. Non desunt insignia talis fiduciæ specimina in *Abele*, *Enocho*, *Noah*, *Ebr. XI*, 4. 5. 7. ad quæ loca conf. *Reverend. Dn. Cancell.* Pfaffii *Disp. de fide Patrum Ante-diluvianorum A.* 1716. *habita*, uti nec documenta sat luculenta diabolicæ tyrannidis in *Caino*, *Lamecho*, *Gen.* IV, 8. 23. ut plane necessarium sit statuere, accepisse illos statim post lapsum a divina bonitate tale quoddam verbum promissionis, quo de gratia cœlesti certi esse, seque contra peccatum, conscientiæ morsus, vitæ molestias, & plurimas diaboli tentationes fortiter defendere poterant: quod nisi in hoc tam claro gratiæ divinæ testimonio de semine mulieris attendatur, vereor profecto, ne alibi frustra quæsiveris, & postremo existimaveris, id, quod ipsum rei momentum est, a divino Scriptore temere prætermissum esse.„ Si jamais l'homme, ait *cit.* Delauny, eut besoin d'une assurance de grace & de pardon, ce fut dans ce triste & affreux moment, où il se vit non seulement déchu de son innocence, & du bonheur dont il jouissoit, mais encore plongé dans le crime, & dans la misére, & sans doute qu'il fut bientôt tombé dans une entiére destruction, s'il n'eut été soutenu par quelque rayon d'esperance. Mais dans tout le

discours

discours rapporté par Moyse, & indiqué ci-dessus, on ne trouve rien, qui fut capable de relever les esperances d'Adam & d'Eve, si ce n'est la sentence prononcée contre le Serpent „.

§. XXXIX.

Accessit huic veritati nonnihil splendoris, ubi Deus Jesajæ ostendit, mulierem, cujus semen contriturum sit caput serpentis, esse virginem, *Jes.* VII, 14. de quo *B.* BRENTIUS in *Matthæi cap. I.* GLASSIUS *Diss. cit. p.* 120. tametsi multa etiam sic obscura manerent atque abscondita, quæ deinceps Scriptura novi Testamenti, tanquam illustris scripturæ propheticæ commentarius, eo adaperuit tempore, quo prædicari potuit: ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί· Quomodo Pontificii Μαριολατρείαν suam ex hoc loco stabilire quærant, non lubet hic recoquere, cum errorem dudum profligaverint Viri docti, & ipsi Romani Pontifices, SIXTUS V. & CLEMENS IIX. manifestam hic Textus depravationem agnoverint, forte ex *Codice Bibliorum Interlineari apud Plantinum A.* 1572. promanantem, uti docet RIVETUS, *Exerc.* XXXVI. *in Gen.* *De loco Jes. VII, 14. huc respiciente.*

§. XL.

Reliquum est, ut ostendamus, quomodo Deus, salva sua justitia & æterna veritate, Protoplastis tam singulariter iterum benedicere, eosque in spem æternæ salutis erigere potuerit, contra ea, quæ dixit cap. II, 17. *Quia, quo die comederis de arbore scientiæ boni & mali, moriendo morieris*; quibus verbis non mors tantum temporalis, sed & spiritualis, & æterna, significatur, juxta *illud* AUGUSTINI *lib.* XIII. *de C. D. c.* XII. Cum quæritur: quam mortem Deus primis hominibus comminatus fuerit, utrum animæ, an corporis? an totius hominis? an illam, quæ secunda dicitur? respondendum est: Omnes „. Conf. *Diss. B. D.* HOFFMANNI *de Pacto cum primo homine inito, habita A.* 1720. *& B. D.* THUMMII *Exercitationum Theologicarum Disput. III. de Statu Adami insti-* *De convenientia verborum comminationis, Gen. II, 17. & Protevangelii, Gen. III, 15.*

inſtituto, *A.* 1621. §. V. p. 14. Obſervandum hic eſt, aliam eſſe rationem comminationum, aliam promiſſionum. Ad harum complementum omnino recte requiritur, ut omnia, quæ verbo promiſſionis inſunt, vere & perfecte ſint præſtita; ad pœnarum autem executionem id non requiritur, ſemperque manet penes Judicem, num velit eas ſecundum omnem rigorem explere, an pro clementia ſua aliquo modo mitigare: mitigari autem ſupplicium potuit, propterea quod, ſalva DEI juſtitia, clementiæ locus erat ex interceſſione filii pro hominibus ſeſe oppignorantis. Quod igitur per inobedientiam in mortem & corporalem & ſpiritualem inciderint primi homines, ex Dei fuit juſtitia: quod æternam autem mortem effugerint, ex Dei gratia per Chriſtum parta. Pertinent huc verba AUCTORIS cujusdam pie ſic ſentientis: Diſcamus placide Dominum audire, non tantum cum hortatur & monet, ſed & cum damnat & pœnas denunciat: qui ſemper juſtus prædicandus, & in minis ejus ſpes miſericordiæ ejus concipienda,,.

F I N I S.

POSITIONES.

1.

Poſſibile dicit id, quod nullam in ſe repugnantiam habet: id, cujus exiſtentiæ præſtandæ ſufficiunt vires alicujus rei exiſtentis. Illa definitio nominalis, utilis eſt in adplicatione ad ſpecialia: hæc realis, in quæſtione de origine & diſcrimine poſſibilium.

2.

Qui nihil poſſibile ſtatuit, niſi quod actuale, ſenſu poſſibilitatis proprio, cum Stoicis introducit fatum, ita ut ceſſet omnis electio, arbitrium, libertas.

3.

In tractatione diſciplinarum præſtat intellectus ſyſtematicus non-ſyſtematico.

4.

Simplicia ſunt ſubſtantiæ.

5.

Recte tribuitur ſimplicibus magnitudo χελικὴ cum Viro quodam illuſtri, ita ut mutatio, quæ fit in ſimplicibus, fiat per variationem graduum, qua in illis id, quod perdurat, accipit in ſuo genere magis & minus.

6.

Argumentum pro demonſtranda Dei exiſtentia deſumtum a contingentia rerum & totius mundi, principio rationis ſufficientis plane ſuperſtructum eſt, unde ejus uſus patet.

7.

Homo non agit ad exercendam libertatem ſuam contra rationem ſufficientem.

8.

Quod detur moralitas fundamentalis, & objectiva, moralitate formali anterior, ipſæ hominum actiones declarant, quæ in ſe naturaliter vel bonæ, vel malæ ſunt.

9.

Deus ſemper agit ex rationibus objectivis, quæ cum non adſint in rebus perfecte ſimilibus, in illis non poteſt eligere.

Deus est ens supramundanum

1

Deus neque causa peccati pe
potest.

1

Debilitas argumenti Cartesiani
ditur hac instantia, si dixero
cte percipio, in idea alicuj
firmandum est. A. in idea co
existentia: E. corpus perfe

1

Civitas dicit multitudinem h
coalescentem, ad commun
curitatem promovendam.

1

Longissime abit ab hoc genui
fine tyrannicum illud: Jus
utile. Hoc ratione quadam
ineptias *Thrasymachi. Neq*
Thrasymache! si Polidama
quidem conferat bubula ad
illo debilioribus, utilem sim
Frf. p. 579.

10.

undanum.

11.

eccati per ſe, neque per accidens dici

12.

Carteſiani pro exiſtentia Dei facile oſten-
ſi dixero: Quodcunque clare & diſtin-
ea alicujus rei contineri, id de ea re ad-
n idea corporis perfectiſſimi continetur
ous perfectiſſimum exiſtit.

13.

dinem hominum in unam ſocietatem
ommunem omnium ſalutem atque ſe-
endam.

14.

oc genuino conſtituendarum civitatum
lud: Juſtum id eſt, quod potentiori eſt
quadam jocoſa oſtendit PLATO contra
chi. Neque enim, inquit, *tale quid dicis,*
Polidamas nobis fortior athleta ſit, & illi
ubula ad corpus, hunc cibum eſſe & nobis,
tilem ſimul & juſtum. de Rep. lib. 1. ed.